542

SCRIPTORES

RERUM GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX

MONUMENTIS GERMANIAE HISTORICIS

RECUSI.

13.

CARMEN DE BELLO SAXONICO.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI.
1889.

542

SCRIPTORES

RERUM GERMANICARUM

IN USUM SCHOLARUM

EX

MONUMENTIS GERMANIAE HISTORICIS

RECUSI.

13.

CARMEN DE BELLO SAXONICO.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI.
1889.

3660

CARMEN
DE BELLO SAXONICO.

EX RECENSIONE

OSWALDI HOLDER-EGGER.

ACCEDIT

CONQUESTIO HEINRICI IV. IMPERATORIS.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII HAHNIANI
1889.

HANNOVERAE, TYPIS CULEMANNARUM.

Compl. Sets
Harrass
11-25-27
15545

PRAEFATIO.

Cum ante hos quadraginta annos huic opusculo locus p. 1214. *inter scriptores aevi Salici dandus esset, G. H. Pertz b. m., eo maxime permotus, quod nullus antiquus codex huius libelli ad nostra tempora pervenit, ac quibusdam aliis levissimis rationibus adductus, hoc carmen non saec. XI, sed a falsario quodam demum saec. XV. vel saec. XVI in. compositum ideoque indignum esse, quod huic collectioni insereretur, nimis temere contendit*[1]. *Quam sententiam quidem, simulac eam compertam habuit, H. Floto*[2] *impugnavit, attamen ea aliquanto tempore invaluit, donec eam G. Waitz b. m. refellit ac revicit*[3]. *Tunc quidem omnes fere ei adstipulati sunt*[4], *solus R. Koepke Pertzii opinionem defendere conatus est*[5], *quem G. Waitz*[6] *et A. Pannenborg*[7] *argumentis evidentissimis ita confutaverunt, ut iam nemo dubitaret, quin a poeta saeculi XI. hoc carmen compositum sit*[8]. *Quod cum iam constet, facile intelligitur carmen hieme a.* 1075/76. *conscriptum esse, cum auctor extremis versibus regem hortetur, ut Saxonum, qui ei a.* 1075, *Oct.* 25. *se dediderant, iam misereatur. Quod scribere non potuisset, si novae rebellionis a.* 1076, *Mart. Apr. exortae iam gnarus fuisset*[9].

1) '*Archiv*' X, p. 75—86. *Conradum Celtem huius criminis arguit, quod is carmen Ligurini, suppositituum tunc habitum, composuisse credebatur. Sed et hoc vere saec. XII. conditum esse iam apud omnes constat.* 2) '*Kaiser Heinrich IV.*' (1856) *II, p.* 427—432. 3) '*Nachrichten v. d. Georg-Augusts Univ.*' 1857. *p.* 13—38. 4) *W. Wattenbach,* '*GQ.*' *ed.* 2. *p.* 318; *E. Dümmler,* '*Litt. Centralblatt*' 1869. *p.* 728; *W. de Giesebrecht,* '*D. KZ.*' *III* (1868), *p.* 1016 *sq., qui tamen in dubio posuit, annon quidam loci (I,* 198. *II,* 122—124*) postea carmini inserti sint; sed cf. Wattenbach l. l. ed.* 5. *II, p.* 81, *n.* 1. 5) '*Ottonische Studien*' *II, p.* 278 *sqq.* 6) '*Das Carmen de bello Saxonico oder Gesta Heinrici IV.*' *in* '*Abhandlungen d. Kgl. Ges. d. Wiss. zu Göttingen*' *XV. et separatim editum Göttingen* 1870. 4°. 7) *Ibid. p.* 78—86. 8) *Cf. Wattenbach,* '*Heidelberger Jahrbücher*' 1871. *p.* 259 *sqq.; Lindner,* '*Hist. Zeitschrift*' *XXVII, p.* 454 *sqq.; Dümmler,* '*Litt. Centralblatt*' 1870. *p.* 1030. 9) *Cf. A. Edel,* '*Forschungen*' *XXVI, p.* 584.

Iam dehinc viri docti indagare conati sunt, quis auctor carminis fuerit, et diversas hac de re sententias proposuerunt. Atque paucis monuisse sufficit Goldastum[1] *primo Rupertum praepositum Goslariensem, a.* 1075—1102. *episcopum Bambergensem, postea*[2] *vero sententia mutata Rulandum quendam, quem 'pro Henrico IV. scripsisse in rerum gestarum monumentis legerat', pro auctore habuisse. Aliam coniecturam nostris temporibus primus W. de Giesebrecht*[3] *proposuit, Lambertum videlicet Hersfeldensem, celeberrimum*
* p. 1215. *annalium scriptorem, *ipsum carmen composuisse, quia is se carmen quoddam heroico metro conscripsisse in prologo historiae Hersfeldensis*[4] *dicit. Cui adstipulatus Th. Lindner*[5] *hoc iam fere pro certo habuit, sed contradicentibus G. Waitz*[6] *et I. A. Lefarth*[7]*, postea ipse sententiam mutavit*[8]*. Nuper quidem A. Pannenborg*[9]*, quod W. de Giesebrecht cautissime coniecit, demonstrare atque argumentis confirmare conatus est Lambertum fuisse auctorem carminis, at mox A. Edel*[10] *gravissimis rationibus nisus hoc refellit ac redarguit. Ostendit enim sermonem carminis non ita similem esse Lamberti, ut Pannenborg censuerat, plerosque locos ab hoc allatos, ut opinionem suam probaret, aut perparvi aut nullius momenti esse*[11]*; poetae orationem plenam ac refertam esse dictis Vergilianis, apud Lambertum aliorum quidem antiquorum auctorum multos locos, sed nullum Vergilii inveniri. Tum docuit, quod et alii iam opinati sunt, vero propius ac probabilius esse, quantum cognoscere licet, historiam Hersfeldensem iam a.* 1074 *(aut* 1075*) conscriptam esse*[12]*, cum carmen hieme a.* 1075/76 *compositum esse viderimus, Lamberti igitur opus metro heroico editum, quod in prologo historiae commemorat, hoc carmen non haberi posse, illo potius res gestas monasterii Hersfeldensis narra-*

1) *Apologia pro Heinrico IV. p.* 20. 2) *Ibid. prol. p.* 14 *sq.* 3) *'D. KZ.' III* (1868), *p.* 1017. 4) *SS. V, p.* 137: Scribere disposui . . . quae olim me contigit super statu monasterii nostri vel legisse vel a probatissimis viris audisse, quaeque etiam ipse expertus sum. . . . . Ad hoc me accendunt studia rerum moderno tempore gestarum, quamquam sciam me ad has describendas minus idoneum. Quas tamen plerasque pro opibus ingenioli mei heroico metro strictim comprehendi. Sed quoniam relata ab aliis, ab aliis refelluntur, et in versibus plura falsa pro veris scripsisse accusor *etc.* 5) *'Anno II. der Heilige' (Lipsiae* 1869*) p.* 3 *sqq.* 6) *Carmen p.* 41. 7) *'Lambert v. Hersfeld' (Düsseldorf* 1871*) p.* 8 *sqq.* 8) *'Hist. Zeitschrift' XXVII, p.* 455. 9) *'Forschungen' XXV, p.* 409—448. 10) *'Forschungen' XXVI, p.* 531—597. 11) *Hoc ut iterum demonstraret, ingentem operam dedit W. Gundlach, 'Wer ist der Verfasser des Carmen de bello Saxonico' (Innsbruck* 1887*) p.* 60—120. 12) *Cf. etiam Lefarth l. l. p.* 18 *sq.; Waitz, SS. V, p.* 136.

tas fuisse, ut ex verbis Lamberti supra (p. VI, n. 4) allatis, non satis quidem perspicuis, apparere videtur. Deinde etiam probavit inter poetae et Lamberti rerum gestarum relationem nullam aliam rationem intercedere nisi duorum auctorum eadem narrantium, multa ab utroque diverso modo relata esse. Denique nullo modo credi posse eundem auctorem carmine regem ingentibus laudibus extulisse, paulo post[1] *eundem infestissimo animo obiurgasse ac conviciatum esse; quae coniectata sint, ut Lambertus a.* 1076. *sententiam de rege immutasse atque invertisse crederetur, nullius esse momenti.*

Iam etiam alii aliam sententiam de auctore carminis proposuerunt. G. Waitz[2]*, cuius animum A. Pannenborg ad hoc ipse adverterat, monuit miram quandam similitudinem orationis deprehendi inter carmen et Vitam Heinrici IV, utriusque operis auctorem eiusdem indolis, aeque Heinrici IV. regis studiosissimum fuisse. Unde coniecit forsan*[3] *ab eodem clerico utrumque librum compositum esse. Et hoc verum certumque esse nuper W. Gundlach*[4] *demonstrasse sibi visus est. Quin etiam, hoc non contentus, quis fuerit auctor et carminis et Vitae, certissime se ostendisse sibi persuasit. W. Wattenbach*[5] *optimo iure censuerat auctorem carminis non monachum, intra moenia coenobii latitantem, sed clericum quendam cancellariae regis aut cuiusdam principis addictum, in schola quadam* *tempore Heinrici III. *florente eruditum, fuisse. Iam hinc Gundlach, quin auctor cancellariae regiae adscriptus fuerit, haud dubius, cum operam daret, ut 'dictatorem' quendam multa diplomata et epistolas Heinrici IV. dictasse ostenderet, facile sibi persuasit hunc et carmen et Vitam Heinrici composuisse. Ac ne viri tam egregii, tam optime meriti, nomen* * p. 1216.

1) *Iam in hist. Hersveld. animum regi infensum, Annonis studiosissimum Lambertus prodit, SS. V, p.* 141: Heinricus, cum ad maturam venisset aetatem, relicto episcopo, secundum propriam vixit voluntatem, promittensque Karolum Magnum suo seculo sese repraesentaturum, Roboam se repraesentavit. . . . Palatium perditis moribus plenum erat. Vae enim tibi terra, cuius rex puer est! *Cf. et prologum, ib. p.* 137, *ubi praedones bonorum abbatiae increpat. Etiamsi igitur cum Pannenborg censere vis historiam demum a.* 1076. *compositam esse, paucis mensibus vel paucis diebus post carmen editum Lambertum mentem animumque immutasse statues, si hunc auctorem carminis habes. Quod credat Iudaeus Apella!* 2) *Carmen p.* 42 *sqq.* 3) *Caute addidit: 'Doch ist auch dies eine Vermuthung, der nicht mehr Werth beigelegt werden soll, als eine solche überhaupt in Anspruch nehmen darf'.* 4) *'Ein Dictator aus der Kanzlei Kaiser Heinrichs IV.' (Innsbruck* 1884*) p.* 107—127. 147—166. 172—190. 5) *'Heidelberger Jahrb.'* 1869. *p.* 588. 1871. *p.* 261.

nesciremus, statuit Gotscalcum praepositum S. Mariae Aquisgranensis, quem in Germania inferiore natum, in cancellaria archiepiscopi Bremensis eruditum esse coniecit, illum dictatorem et auctorem utriusque libelli fuisse. Haec tam certo demonstrasse sibi visus est, ut, cum E. Steindorff[1] *et alii*[2] *ea in dubium vocarent, libellum haud tenuem ederet, quo haec omnia defenderet*[3]*. At tantum abest, ut ea vera comprobaverit, ut nihil eorum evici posse ostenderit. Omittamus quaerere, num vere octoginta tria diplomata Heinrici IV. ab eodem viro dictata sint, ut Gundlach censet, sed iam neutiquam comprobatum est sex Heinrici IV. epistolas maximi momenti ab eodem dictatore scriptas esse, nihil certi allatum est, quo Gotscalcum hunc dictatorem fuisse ostendatur. Minime denique constat aut carmen aut Vitam Heinrici ab illo dictatore composita esse, nec etiam utrumque opusculum eiusdem auctoris esse evictum est*[4]*.*

Hoc sane apparet, orationem Lamberti et carminis et Vitae simillimam esse, sed propinquiores indole sunt inter se Lambertus et auctor Vitae, hic et poeta quam Lambertus et poeta. In hoc nihil ingenii Lambertini deprehendo, immo longe inferioris indolis poeta evadit. Sane quidem bene eruditus erat bonoque fructu poetas auctoresque Romanos lectitarat, etiam satis leves politosque versus condidit, sed hoc multo cum labore et sudore effecisse videtur. Non paucos versus iterat, acsi impotens eadem aliis verbis exprimendi, multos dimidios ac paene integros versus a Vergilio excepit[5]*, medias ac ultimas multorum versuum syllabas*

1) *'Götting. gel. Anzeigen'* 1885. *p.* 716—740. 2) *W. Arndt, 'Litt. Centralblatt'* 1886. *p.* 979 *sq.; W. Diekamp, 'Mittheilungen d. Inst. f. östr. Gesch.' VI, p.* 641 *sqq.* 3) *Quem supra p. VI, n.* 11 *attuli.* 4) *Quaedam, ut haec somnia refellam, alio loco afferam. Hoc loco unam, singularem sane, rationem, qua Gundlach nititur, lectoribus propono: Lambertus in hist. Hersfeld., SS. V. p.* 140, *haec dicit:* imperatores suorum secum habent praecones meritorum, experientia, ut ita dicam, vernacula eis scribenda dictante et falsas opiniones, veritate astipulante, longius propellente. *Hunc locum Gundlach certum testimonium habet auctorem carminis cancellariae regis addictum fuisse! Praeco meritorum Heinrici IV. fuit auctor carminis, ergo Lambertum hunc in mente habuisse, cum ista scriberet, constat! Omitto, quod supra monui, neminem scire, an historia Hersfeldensis post carmen scripta sit. Quis autem, rogo, sanae mentis credet Lambertum hunc virum, qui summis regem laudibus extollit, in eodem libro veritatis studiosum laudasse, quo ipse acriter procul dubio in regem, alterum Roboam, agrorum Hersfeldensium vastatorem, invectus erat? Immo neutiquam constat, nec quidquam allatum est, quo comprobetur Lambertum hoc carmen legisse. Talia sunt argumenta, quibus hae coniecturae nituntur.* 5) *Quod iam Soupherus, primus carminis editor, vidit, qui in prologo:* in plerisque

consonas reddidit, annominatione tinnituque verborum iterum iterumque repetitorum more huic saeculo consueto delectatus[1]. *At Lambertus, quo nemo scriptorum medii aevi facilius, elegantius, promptius sermone Latino usus est, talem ornatum ac morem scriptorum sui saeculi orationem syllabis consonis exornandi sprevit. Hoc propinquior oratione et sermonis ornatu poetae est auctor Vitae Heinrici IV, sed, etiamsi iure profiteberis nonnullis argumentis niti, quod G. Waitz coniecit, utriusque operis unum fuisse auctorem, tamen neutiquam concedes hoc esse evictum, immo animadvertes nonnulla esse argumenta aliquanti momenti, quae huic coniecturae obstant*[2]. *Certe probabile est auctorem Vitae carmen legisse.*

Oedipodi relinquamus quaerere, quis poeta fuerit. Constat eum in Germania superiore natum, aut Bawarum aut Suevum fuisse, cum ubique Poiarii, Poiemii (Poiemicus)[3] *scripserit*[4]. *Eum clericum, in curia regis moratum esse*[5], *ipsi regi hoc carmen tradidisse verisimillimum est.* p. 1217.

Libellus est panegyricus, in laudem et gloriam regis editus, in tres libros distinctus, quibus enarrantur quae a. 1073. *usque ad a.* 1075. *inter regem et Saxones rebelles gesta sunt, donec hi a.* 1075, *Oct.* 25. *regi se dediderunt. Poetam omnia in regis favorem vertisse, quae ei minus prospere cesserunt vel gloriae eius detrahebant omnia omisisse, res a rege gestas in maius extulisse non mirum, immo par ac necesse est. Si haec et quae poetico colori danda sunt demis, res vere relatas, bene expositas, concitate descriptas esse negari non potest. Cum disertas et uberes relationes de rebellium Saxonum bello duorum virorum regi infestissimorum habeamus, maximi habendus est hic libellus, quo vir eruditus, qui a parte regis stetit, statim post bellum confectum easdem res exposuit, quo illorum relationes maxi-*

enim locis, *ait*, Maronem foelicissime est aemulatus. *Quod A. Pannenborg censuit, auctorem Poetam Saxonem imitatum esse, mihi non persuasit.* 1) *Cf. Gundlach, 'Dictator' p.* 157. 2) *Velut in Vita Heinrici quidam versus Horatii et Lucani laudati sunt, sed nullum dictum Vergilianum in ea invenitur. Vide infra n.* 4. 3) *Hae nominum formae et in codice et in editione principe solae occurrunt, unde patet iam in codice vetusto, ex quo utrumque exemplar sumptum est, easdem ubique scriptas fuisse, ideoque concludendum est iam auctoris autographon easdem habuisse. Nam scribam quendam demum* B *in* P *in his nominibus mutasse non probabile est, neque unquam in codicibus Latinis hac ratione nominum formas mutatas esse reperi.* 4) *Idem probant nominum formae* Gotefridus *(III,* 79*) et* Tiedricus *(III,* 85*). At in Vita Heinrici IV.* Bawari, Bawaria, Boemia *ubique scriptum est; quod etiam prohibet, quominus huius auctorem carmen composuisse credamus.* 5) *Cf. Lefarth p.* 17.

mam partem confirmantur, quaedam ad illas diiudicandas et discutiendas afferuntur, quaedam nova cognoscuntur. Iniustius quidam de hoc opusculo iudicasse videntur[1], *qui, obliti se carmen panegyricum, non historiam prae oculis habere, ei culpae dedere, quod parum novi rebus cognoscendis afferat*[2].

Poeta dicit (II, 42—44) se alio loco expositurum esse, quibus artibus primates regni in conventu Gerstungensi (a. 1073, Oct. 20) inducti sint, ut Saxonibus contra regem favissent; quod num executus sit, ignoramus. Sed docemur hoc loco poetam multa comperta habuisse, quae in carmine tunc enarrare non aptum seu non utile duxit.

Editionis huius eadem subsidia fuere, quibus iam G. Waitz usus est[3], *videlicet:*

1) *Codex bibliothecae Hamburgensis, Hist. imp. Rom. Germ.* 4°. *nr.* 295, *chart.*, 4°. *min., variis libellis saec. XVI. et XVII. compactis constat, quorum primus fasciculus,* 23 *folia habens, pag.* 1—39. *medio saec. XVI. exaratum hoc carmen continet*[4]. *Hoc procul dubio ex eodem codice descriptum est, ex quo sumpta est*

2) *editio princeps, quam a.* 1508. *Argentorati*[5] *in lucem dedit Gervasius Soupherus, hoc titulo praemisso:* Henrici
* p. 1218. quarti Ro. imperatoris bellum contra *Saxones Heroico carmine descriptum. *Is dicit in prologo Io. Rechburgio Argentinensi dedicato:* Transactis diebus in codicem vetustissimum, nobilissimorum etiam auctorum monumenta continentem, incidi, quo hoc elegans opusculum excerpsi, virtutem bellicam

1) *Nihil iniustius quam quod Pertz dicit 'Archiv' X, p.* 80: *'Es enthält Redensarten statt Thatsachen'. Immo multas res gestas ac multa facta poeta narravit, sed pleraque uberius a Lamberto relata habemus. Sed etiam haud pauca in carmine leguntur, quae Lambertus aut non aut alio modo retulit, quae tamen Pertz praesumptione sua caecatus non vidit. Numquid poetae culpae dandum est, quod Lambertus uberem et disertam belli Saxonici relationem conscripsit? Nullo iure Pertz ibidem praesumpsit oportuisse, ut poeta regi familiaris, secretorum primatum conscius fuerit; et si fuisset, tamen secreta in carmine panegyrico regi tradito non in publicum evulgasset.* 2) *Aequissimum iudicium, ut assolet, Wattenbach, 'GQ.' ed.* 5. *II, p.* 80 *sq., et Waitz, Carmen p.* 41. *fecerunt. R. Wagemann, 'Die Sachsenkriege Heinrichs IV.' (Diss. Celle* 1882*) p.* 15 *sqq.* 3) *Carmen p.* 46—77. *editio eius exstat.* 4) *Codex fuit olim Uffenbachii, postea Wolfii. Chartam eius corona signatam Strasburgensem esse monuit Pertz, 'Archiv' X, p.* 86. *Specimen scripturae vide ibidem.* 5) Novis excussum typis id operis in lucem primus prodire fecit propriis impensis Honestus vir Ioannes Grüninger civis Argentinus. Anno salutis M. D. VIII. *Nunc etiam bibliotheca regia Berolinensis exemplar huius libri possidet a.* 1852. *dono datum a Föringer b. m., quod olim fuit abbatiae Tegernseensis, ab hac emptum a.* 1510.

magnificaque Henrici Romanorum imperatoris eius nominis quarti gesta complectens. *Iam antea hunc codicem viderat Iacobus Wimpheling, qui in libro a.* 1502. *edito*[1] *dicit de Heinrici IV. bello Saxonico:* De quo bello pulchrum et elegans Poema heroicum a Germano quodam lucubratum est, quod in Bibliotheca Spirensi vidimus et legimus; *unde discimus Soupherum ex bibliotheca Spirensi codicem nactum esse. Et editio et apographum Hamburgense sola quaedam menda habent, hoc autem aliquanto mendosius est, quamvis haud pauca etiam in* 2 *corrupta veris lectionibus in* 1 *servatis emendentur. Editio antiquam rationem scribendi bene ac melius quam* 1 *servasse videtur*[2]*, sed et in* 1 *quaedam occurrunt, quae antiquo mori scribendi convenientia ex codice vetusto transsumpta videntur. Ideo plerumque verba ut in* 2 *expressa sunt scripsimus, quaedam etiam quae ex antiquo more scripta videbantur ex* 1 *recepimus*[3]*. His indiciis apparet codicem Spirensem vere vetustum, aut saec. XI. aut saec. XII. exaratum, sed eum autographum auctoris fuisse non probabile est, cum perpauca quidem menda et in* 1 *et in* 2 *inveniantur*[4].

Editionem principem recudi fecerunt[5] Reuber, *Veterum Scriptorum t. I, p.* 202—216. *(Francofurti* 1584. *Hanoviae* 1589. 1619*) et* Goldast, *Apologia pro Heinrico IV. imp. (Hanoviae* 1611*) p.* 20—39*; quae in Reuberi collectionis editione nova cura Ioannis (Francofurti* 1726*) I, p.* 283—302. *recusa est. Reuber et Goldast quaedam menda sustulerunt, sed alia aut eorum aut typographorum errore irrepserunt.*

Codicem Hamburgensem praeter Georgium Waitz contulerunt G. H. Pertz et Ph. Jaffé, quorum schedis usi sumus. In eisdem R. Koepke b. m. multos versus Vergilii et Lucani adnotaverat, quos poeta imitatus est. Eosdem fere et alios A. Pannenborg editioni Waitzii subnotaverat, alios in laudato suo tractatu attulit. Ex his eos qui maioris momenti videbantur expressis verbis subnotavimus, alios levioris momenti in margine adscripsimus, alios, quos poetam imi-

1) *Epitome rerum Germanicarum f.* 24. *Hunc locum laudavit Waitz, Carmen p.* 9, *quem E. Steindorff in eum adverterat. Editioni Soupheri epistola Beati Rhenani ad Iacobum Wimpheling data subiecta est.* 2) 2 *habet* temptare *(semper),* subpeditabo, pre *(plerumque),* sepe, *ubi* 1 tentare, suppeditabo, prae, saepe. *Saepe in* 2, *nonnumquam et in* 1 ę *vel* ae *scriptum est, ubi* e *ex more saec. XVI. ponebatur, ut* aedictum, naec, magnificę *(adverb.) etc. In his verbis* ę *scripsimus, quod in vetusto codice fuisse coniicimus.* 3) *Cf. Waitz p.* 6 *sq.* 4) *Vide I,* 196. 225. *II,* 52. *III,* 280. 5) *De editione quae a.* 1583. *prodiisse dicitur vide Pertz l. l. p.* 76.

tatum esse nobis non persuasum erat, neglexímus. Ceterum paucas notas adiecimus, omnia quae de singulis locis a viris doctis scripta sunt afferre non nostrum ducentes. Titulum apud omnes iam consuetum retinuimus, qui et iis quae poeta de consilio suo I, 1. 2. *dicit optime concordat, cum eum, quem apographum Hamburgense exhibet (*Gesta Heinrici imp. metrice*), non antiquitus traditum, sed a scriptore saec. XVI. inditum esse appareat.*

Scriptorum t. XV, parte II, p. 1214—1235. *haec nostra editio prodiit, cuius tomi paginarum numeros in margine adscripsimus.*

---

*V. I. W. Wattenbach benigno animo nobis concessit, ut alterum carmen de Heinrico IV. imperatore conscriptum hoc loco subiungeremus, quod ipse edidit in 'Sitzungsberichte der philos.-philol. und histor. Classe der k. b. Akad. d. Wiss. zu München' III (*1873*), p.* 738—742, *cui titulum Conquestionis Heinrici imperatoris ad Heinricum filium indere visum est. Est enim epistola metrica quasi ab ipso imperatore deposito ad regem filium data eo tempore, quo is contra patrem Leodii morantem et imperium recuperare molientem bellum parabat.*

Quod carmen W. Wattenbach invenit in codice bibliothecae regiae Monacensis Lat. nr. 17142 *(Scheftlariensi nr.* 142*), mbr. saec. XII, f.* 116'. *inter carmina varia et fragmenta diversi generis*[1] *exaratum. Sicut omnia carmina*

1) *Quorum multa W. Wattenbach l. l. p.* 710—747. *edidit. Iuvat hoc loco recudere quae ipse p.* 710. *de codicis Scheftlariensis posteriore parte, olim volumine separato, disserit: 'Mit f.* 70. *aber beginnt eine ursprünglich abgesonderte, ganz wunderliche Handschrift. Es scheint nämlich, dass ein sehr geschätzter Gelehrter Adversarien hinterlassen hatte, welche von einem unkundigen Schreiber einfach abgeschrieben sind. In der allertollsten Weise folgen hier ohne alle Unterscheidung auf und durch einander theologische Excerpte und Bemerkungen, Fetzen von Commentaren zu profanen Schriftstellern, die vermuthlich in Vorlesungen nachgeschrieben sind, Gedenkverse (cf. 'Anzeiger d. Germ. Museums'* 1873. *XX, col.* 217—221*) und eigene Verse nebst Antworten, die einen gelehrten Verkehr mit Damen erkennen lassen. Die Verse sind nicht abgesetzt, sondern nur durch Punkte das Ende und die Mitte bezeichnet. Die Interpunction ist deshalb neu zu machen, und zahlreiche Fehler des Abschreibers erschweren ausserdem das Verständniss'. Cf. Wattenbach, 'Deutschlands GQ.' ed.* 5. *II, p.* 63 *sq. Codex ille non in monasterio Scheftlariensi, demum a.* 1140. *fundato, sed procul dubio in Bawaria scriptus est, cum, ut Wattenbach docuit, illae, quarum carmina aliquot epistolaria hic codex continet, fuerint canonissae Ratisponenses. In illo monasterio codex exaratus esse videtur, cui praefuit Egino abbas, cuius*

huius codicis etiam Conquestio a scriba, qui multos locos legere nequivisse videtur, mendosissime transcripta est, sed multa iam W. Wattenbach optime emendavit, alia menda ut tollerem, ipse studui. Quod cum fecissem, gavisus sum inveniens tria quae conieceram iam a V. I. W. de Giesebrecht[1] *correcta esse. Versus impoliti sunt, sermo inconditus, etiam quidam versus, in quibus leges metricae neglectae sunt, non corrupti, sed ab ipso auctore vitiose scripti esse videntur.*

Auctor sane Bawarus fuit, qui regem hortatus sit, ne Saxonibus et Suevis confideret[2]*, cuius carmen codice Bawaro servatum sit*[3]*. Facile credendum est unum eorum qui carmina in eodem codice exstantia condiderunt hanc etiam epistolam conscripsisse, cum versus eius leonini simillimi sint aliorum quorundam eodem codice servatorum*[4]*; sed non habemus, unde de nomine et conditione poetae coniicere possimus*[5]*.*

Poeta v. 58. *cometae mentionem fecit, qui mense Februario a.* 1106. *apparuit. Post hunc igitur mensem*[6]*, sed ante obitum Heinrici imperatoris (a.* 1106, *Aug.* 7*) epistolam compositam esse censeo, cum nihil contineat, quod auctorem imperatoris mortem iam scivisse indicet*[7]*. Nec probabile est quendam Heinrici morte rerum facie immutata hanc Conquestionem composuisse*[8]*. Sane, ut W. de Giesebrecht monuit*[9]*, quaedam huius epistolae metricae aliquo modo conveniunt cum epistola Heinrici imperatoris ad*

epitaphium idem codex continet, editum a W. Wattenbach, SB. p. 746. *Sed frustra indagare conatus sum, cui monasterio Egino iste praefuerit.* 1) *'Gesch. d. deutschen Kaiserzeit' ed.* 4. *III, p.* 1187, *n.* 1. *ad v.* 17. 22. 56. 2) *V.* 98—100. 3) *Sed vide infra p.* 27, *n. a sex versus in codice Stabulensi exstantes.* 4) *V.* 51. 52. *imbrium continuorum anni* 1106. *mentio fit, et f.* 95. *eiusdem codicis hi leguntur versus (SB. p.* 716*):*

Me turbat graviter qui crebro defluit imber.
Nam vereor nostris hanc vindictam dare culpis.

Sed quo tempore hi versus conscripti sint, nos nescire monendum est. 5) *W. Gundlach, 'Verf. des Carmen de bello Saxonico' p.* 52 *sqq. studuit, ut probaret monialem quandam Ratisponensem hoc carmen composuisse, sed quae affert argumenta risum, non animum movent, ut hoc credatur. Cum dixerit hanc monialem S. Emmerammi fuisse, nemo nescit monasterium S. Emmerammi monachos, nunquam sanctimoniales, incoluisse.* 6) *Num poeta, cum dixerit* quaedam tenebrescunt, *eclipsin lunae a.* 1106, *Iul.* 18. *in mente habuerit, non constat.* 7) *Nam hoc v.* 58. 59. *factum esse non concedam. Sane, si poeta post mortem imperatoris scripsisset, fere dixisset maerorem et dolorem defectione filii commotum imperatorem ad inferos deducturum esse.* 8) *Auctorem coaevum fuisse patet, cum rei publicae statum regumque consilia satis bene perspexerit, tum etiam cometae, siderum mirorum, imbrium magnorum a.* 1106. *mentionem fecerit. Et de pluviis quidem huius anni nusquam alibi quidquam reperitur, unde hoc discere potuisset.* 9) *'D. KZ.' ed.* 4. *III, p.* 1187, *n.* 1.

Philippum regem Franciae directa, nec tamen est, cur poetam eam legisse credamus. Immo fieri non potuit, quin poeta, cum imperatorem filio conquerentem induceret, ad quaedam adduceretur, quae imperator regi vere conquestus est. Unde etiam evenit, ut poeta nonnulla habeat, quae imperator legatione filio mandasse Vita Heinrici c. 11. *dicitur, neque tamen quisquam propterea iusta ratione poetam hunc librum legisse concludet*[1]. *O. Holder-Egger.*

1) *Quod quidem W. Gundlach p.* 41—52. *omni annisu demonstrare conatus est; sed quae attulit ne hili quidem pondus habent.*

[GESTA[a] HEINRICI[b] IMPERATORIS METRICE]. p. 1218.

LIBER[c] I.

Regis Heinrici volo praelia[d] dicere quarti
Contra Saxonum gentem sua iura negantem,
Quae dum fallentes sociaret[e] viribus artes[f],
Plurima bella dolis fidens commisit et armis.
Alme Deus, succurre[g] mihi proferre latentes — *cf. Verg. Aen. III, 32.*
Usque modo causas, ea gens quo laesa dolore, — *cf. ib. I, 8 sq.*
Quidve timens tantos belli commoverit aestus — *p. 1219.*
Adversus regem nulli pietate secundum[1],
Cuius et externi gaudent iuga ferre tyranni,
Et cui se nunquam tulit impune obvius hostis[2].
Domni regis adhuc pueri gens effera laxis
Dum fluit imperiis nec habebat iura timoris,
Non falsum[h] vero nec iniquum segregat aequo.
Quod fuerat libitum sibi quisque secutus eorum,
Ecclesias spoliant, viduis sua diripiebant,
Pupillos miserosque premunt, vi cuncta geruntur;
Pauperis heredem statuit fortuna potentem;
Plus nocuit qui plus potuit, lex nulla coercet,
Fasque nefasque sibi fuerat cuiusque voluntas[3]. — *cf. Lucan. V, 313.*
Sed rex ut teneros superat virtutibus annos,
Ante nimis laxas huic genti strinxit[i] habenas, — *cf. Aen. I, 63.*
Iura dedit, leges statuit, cohibenda coercet[4]; — *cf. ib. I, 507.*

a) *sic* 1; *lemma deest* 2. b) IV. *alio atram. post add.* 1. c) L. I. *des.* 1. d) d. pr. 2. e) socias *(altera manu corr.* sociat*)* et 1. f) *sic emend. Goldast;* artes 2; *vel* artes *vel* arces *in* 1 *legi potest.* g) ur e *corr.* 1. h) falsis 2; falsum *iam emendavit Reuber.* i) struxit 1.

1) *Cf. Nasonis argum. Aen. I,* 1, *Ribbeck, Proleg. ad Verg. p.* 370: nulli pietate secundum. 2) *Cf. Aen. VI,* 879 *sq.:* non illi se quisquam inpune tulisset obvius. 3) *V.* 11—19. *poetam Alcimi Aviti Poem. IV,* 13—27. *imitatum esse contendit A. Pannenborg, 'Forschungen' XIII, p.* 413 *sq.; quod mihi non persuasit.* 4) *Simillima habet Vita Heinrici IV. c.* 2.

Ecclesiis, viduis, miseris vi rapta requirit;
Nec fecit quisquam post haec impune rapinam.
Talia quod populus tolerabat frena superbus,
Perdoluit, multumque timens, ne poena sequatur
Tot malefacta sui, studuit contraria regi
Viribus atque dolis. Furor hinc evenerat omnis,
Hinc belli causae veniunt sub imagine recti.
1073. Coniurata dolo gens ut convenit in unum,
Consiliis instructa suas fallentibus artes,
Tres oratores legatos eligit omni
Ex numero, sua qui deferrent nuncia regi[1].
cf. Aen. XI, 447. I,631sq. Qui missi cursum tendunt ad regia tecta[2].
Ut sunt ingressi, fuit et locus aptus agendi,
cf.ib.IX,244. Inter eos animis qui maximus extat et annis[a],
Verbis Saxonum sic Meginfridus[3] agebat[b]:
'Rex, tam virtutum quam regni nobilis heres[c]
Patris avique tui, meritis contraria nostris
Plurima pertulimus, tibi nunc[d] semperque fideles.
Vim qui ferre solent aliis in partibus orbis,
cf. Deut. 16, 11. 14. Hanc nobis faciunt. Pupillus[4] et advena quivis
Indigenas prohibent[e] silvis communibus uti,
Pascua praeripiunt, abigunt armenta gregesque,
Heredes[c] circumveniunt, vi predia tollunt[5],
Omnibus atque modis fit ab his iniuria nobis.
Quam, pie rex, cohibe posthac et corrige facta,
Leges redde tuis ablataque patria iura!
Quod tibi debemus, si nunc optata feremus,
Quo nos cunque vocant, sequimur tua iussa volentes[6].
cf.Aen.II,50. Sic fatus, regis responsum tale recepit:
p. 1220. 'Corrigo, si qua piis meritis adversa tulistis,
cf. Hor. Ep. II, 3, 191. Nec quisquam frustra queritur mihi vindice digna.
Quam vos arguitis, non est iniuria nec vis.
Non vestras leges, non ius discindere quaerens[f],
Passis usque modo miseris vim rapta reposco,
Reddo; nec absistam, donante Deo mihi vitam.

a) armis 2; *sed cf. infra III,* 87. b) aiebat *Gold.* c) haer. 1 *semper;* her. 2 *h. l.* d) nec 1. e) prohibens 1. f) querens 2.

1) *Cf. Aen. XI,* 331: Centum oratores ... ire placet; *Nasonis argum. Aen. VII,* 4, *l. l. p.* 374. 2) *Goslariae Iun.* 29; *Lamb. Ann. p.* 196; *Ann. Altah., SS. XX, p.* 824; *Bruno de bello Saxon. c.* 23. 3) *Praefectus Magdeburgensis; Bruno c.* 52. 117. 4) *Nimis inepte ex versu Sacrae Scripturae laudato pupillus Saxonibus vim inferre dicitur. Cf. v.* 82. 5) *Cf. H. Ulmann, 'Hist. Aufsätze d. And. an G. Waitz gewidmet' p.* 119 *sqq.* 6) *Cf. Aen. I,* 610: quae me cumque vocant terrae; *III,* 114: divum ducunt qua iussa sequamur.

Si qua tamen vestrae superest querimonia genti, 1073.
Regni primates mihi conveniantque fideles;
Horum consilio super hac re subpeditabo'.
Missi dicta suis referunt dum regia castris,
Infelix populus ruit ad bellum studiosus.
Aeque maiores, aeque furuere[1] minores,
Illi, ne perdant quae plurima rapta tenebant,
Hi, quia pauperiem sperabant vincere predis.
Quisque manu patrium sibi ius[a] ait experiundum.
Talibus auditis, constanti pectore fortis
Rex iubet ad sese Saxonum quemque[b] vocare
Condicione sub hac, si se velit et sua salva.
Nescia mens hominum[2], spectans instantia tantum,
Quot mala vitares, si provida vivere scires!
Hi modo gauderent, si regia iussa fuissent
Sectati. Solvisse dolent semperque dolebunt[3].
Ut perspexit eos rex nolle venire vocatos,
Sex ibi castellis[4] multo munimine firmis
Presidia imposuit, victum quoque largiter addit.
Ipse rebellantes acies[c] ducturus in hostes
Ibat[5], uti propere conduceret arma virosque. *cf. Aen. I, 1.*
Saxonum populus, digresso rege, superbus
Leges[d], iura, magistratus, fas excidit omne; *cf. ib. I, 426.*
Ante sibi vetitas[e] gaudet cumulare rapinas.
Ecclesiae, viduae, pupillus et advena quisque, *cf. Deut. 16, 11. 14.*
Nuper desueti, vim sunt iam denuo passi.
Sic indiscrete pravi rapiuntque ruuntque[6].
Nec minus interea circundant[f] milite castra
Regia, presidiis quae sunt commissa relictis.
Heimenburc[g. 7] primum, quod erat superabile visum,
Aggressi, bello decertavere cruento.
Nam castellani fortes, ad bellaque docti,
Invictique forent, solum[h] si continuissent

a) vis 2. b) quenque 1. c) aciem 2. d) *v.* 80. *post v.* 81. *posuit Waitz; sed* excidit *pro* exscidit *scriptum esse opinor, unde causa versus transponendi tollitur; cf. III, b:* fas discidit omne. e) ventas 1. f) *sic semper* 1. 2. g) Heimenburc *corr. alia manu* Hennenburc 1; Hennenberg 2. h) si solum 2.

1) *Metro coactus poeta hoc perfectum apud auctores antiquos non usitatum usurpavit; cf. infra v.* 134. *III,* 53. 2) *Cf. Aen. X,* 501: Nescia mens hominum fati. 3) *Cf. Lucan. VI,* 303: dolet heu semperque dolebit. 4) *Novem Lamb. p.* 200. *enumerat.* 5) *Aug.* 9—13. *de castro Harzburg ad monasterium Hersfeldense aufugit; Lamb. p.* 198; *Ann. Altah. p.* 824; *Bruno c.* 27. *Quam fugam poeta silentio texit.* 6) *Cf. Aen. IV,* 581: rapiuntque ruuntque; *cf. ib. I,* 633: Nec minus interea. 7) *Heimburg prope Blankenburg; cf. Lamb. p.* 201; *Ann. Altah. p.* 824.

1073. Crimen avariciae, quod pervertit bona quaeque[1].
cf. Aen. VII, 102 sq. IV, 527. Hoc igitur positum montano verticę[a] castrum
Circundant[b] vulgi tria milia nocte silenti.
Vix expectabant lucem, summisque ruentes
Viribus ad montem, certatim scandere temptant[c],
cf. ib. IX, 503. Hostica quo vitent, acta testudine, tela.
p. 1221. Undique conferti[d] properant super ardua niti;
Gressum dextra iuvat, manus arma sinistra gerebat.
Sic ascendentes et iam vallo propiantes,
Ecce vident fortes occurrere desuper hostes,
Indutos omnes insignia bellica quaeque.
cf. ib. III, 128. II, 313. Exoritur propere non parvus clamor utrimque;
cf. Sal. Cat. c. 60; Aen. I, 111. Eminus emissis crebrescunt vulnera telis.
Post haec res agitur gladiis, miserabile visu!
Nec mora nec requies[2], castellani meliores
Bello magnifice vulgus funduntque fugantque,
Vulnera multiplicant, iraeque[e] satis faciebant.
Preterea stantes ad propugnacula castri,
Ne sine se vincant socii[f], certamina temptant.
Ferratos fustes alii mittunt super hostes,
Tormentis alii lapides, quidam[g] baleari
Arcu dimissis hostes stravere sagittis.
Plebs devicta fugam facit, hostibus et miserandam.
Nanque[h] cadunt plures, dum descendunt fugientes,
cf. Aen. IX, 540. Intereuntque suis infixi corpora telis.
Gens fera Saxonum, cur non capis hinc documentum?
Ecce patent[i] plane cladis documenta futurae,
Nam vincunt primo pauci tua milia bello.
Sed cum servari non possint perniciei
Debita, tu surgis rursum nec victa quiescis.
Ergo palatinus comes[3] e Saxonibus unus
Sex armatorum collectis milibus ipsum
cf. Sal. Iug. c. 29. Castrum circundat bellique moras redimebat,
Sperans expugnare fame, quos ense nequibat.
Sed quae disposuit cum non procedere sensit,
Castellanorum primos per munera temptat,
Quae constant morum perversio magna bonorum.
His dum multa dedit furtim — sed plura spopondit,

a) verticae 2; vertice 1. b) *sic semper* 1. 2. c) tent. 1 *semper*. d) conferri 1. e) ireque 2. f) sociis 1. g) *alio atramento suppl.* 1. h) *sic* 1. 2. i) *aut* parent *aut* patent *in* 1 *legi potest.*

1) *Ad hunc versum laudat Gundlach, 'Ein Dictator' p.* 158, *n.* 4. *proverbium Othlonis, Pez, Thes. III,* 2, *col.* 495:
Crimen avaritiae cito destruit optima quaeque.
2) *Cf. Aen. V,* 458: Nec mora nec requies. 3) *Fridericus.*

Si tradant castrum —, mentes pervertit eorum, 1073.
Ut facerent turpem[a] pro munere deditionem.
Cur tibi tanta fames auri fuit, impie miles? *cf. Aen. III, 57; Ecl. I, 70.*
Auro vende fidem, forsan lucrabere mercem. *cf. Aen. VI, 621.*
Quod precium dederis tu quodque receperis, una
Si pensare velis, tibimet furuisse[1] videris.
Non lapides castri tantum, non ligna dedisti;
Vile capis precium, dans carius omnibus unum,
Quo sine semper eges, quod habens ditissimus esses.
Perfide sic certas miles, sic credita servas!
At tibi dissimiles referent per tempora laudes
Hi[b], quibus Arcipolis[2] fuerat commissa, trecenti[c],
Quos merito longum virtus et fama per aevum
Insignes faciunt, si quicquam carmina possunt[3].
Milia[4] Saxones ex se bis dena legentes,
Arcipolim circumveniunt, sua castraque ponunt,
Arcem quo capiant armisve dolisve, retractant.
Nunc castellanis fontes et pabula temptant
Claudere, nunc dictis illos mulcere dolosis, *p. 1222. cf. ib. V, 464.*
Hic quoque confisi convincere[d] viribus auri.
Verum nunc talis labor est absumptus inanis,
Nam via nulla dolis, nec prosperitas patet armis;
Regius iste fidem miles non comparat auro.
Quam sit in arma potens, iam gens Saxonica[e] sensit.
Hunc[f] licet hostiles circundederint legiones,
Non petitur, sed sponte[g] petit tot milia fortis.
Hinc equites lecti descendunt arce ducenti, *cf. ib. VI, 861. XII, 275.*
Insignes animis, nitidi fulgentibus armis;
In castris resides et nil hostile timentes
Hostes invadunt et bellica signa canebant. *cf. ib. X, 310.*
Saxones subito stupefacti corda periclo *cf. ib. V, 643.*
Discurrunt, trepidant, consulto nil agitabant;
Pars cecidit, pars arma capit, pars maxima fugit.
Instant victores, oriturque miserrima caedes[5]; *cf. Aen. IX, 331 sq.; Georg. I, 511.*
Castra cruore madent, mars sevit ubique cruentus.
Sic devastatis castrorum partibus illis,
Victores captas abigunt ad moenia predas.
Sed victi luctum variantes clade suorum,
Pars interfectos sepelit, pars membra levavit

a) tristem 1. b) Haec 2. c) trecentos 2. d) devincere 2. e) Saxonia 1. f) Nunc 2. g) spontet 1.

1) *Cf. supra p.* 3, *n.* 1. 2) *Harzburg.* 3) *Cf. Aen. IX,* 444: Si quid mea carmina possunt; *cf. infra II,* 193. 4) *Ad v.* 143—213. *cf. Lamb. p.* 205; *Bruno c.* 29. 5) *Cf. Aen. II,* 411: oriturque miserrima caedes.

Saucia vivorum curas habitura suorum.
1073. *cf. Georg. IV, 438.* Corpora vix placidae[a] componunt fessa quieti,
Cum descendentes e moenibus Arcipolenses
Irrumpunt iterum castris somnoque iacentes
Caedunt[b] atque fugant, armis et equis spoliabant,
Circum castra sitas[c] incendunt undique villas.
Sic decertabant, sic hostibus usque nocebant,
Obsessique suos obsessores numerosos
Tandem cogebant, quod pacem sponte petebant.
Pax sed utrimque[d] fide datur hac sub conditione,
Si pactum absentis firmaret gratia regis.
Abscedunt[e] aliis quoque castris obsidiones.
Ocia reclusis agitantur, et undique portis
Ibant pacifice, quocunque placebat utrisque.
Sed brevibus spaciis durant haec commoda pacis,
Nec potuit veterem gens impia ponere fraudem.
Nam duo cum iuvenes descendunt Arcipolenses
Et nova Goslariae[f] voluerunt arma parare,
Capti, nudati sunt, in cruce suntque levati[1].
Gens fera, sic servas pacem, quam tute petebas?
At, quod sperasti, non[g] hec impune tulisti,
Nam tua pro geminis flevisti funera centum.
cf. Aen. III, 121. Velox fama volat referens de pace soluta
Ad castellanos et turpi morte suorum.
Qui sperasse fidem Saxonum sero dolentes,
Consiliis agitant, mala qua[h] mercede rependant.
Denos[i] ergo viros mittebant, qui pecus omne
Goslariae[k] campis abigant, praedam simulantes.
Quo facto, praedam properanter[l] ad eripiendam
p. 1223. Goslaria[m] currunt pariter iuvenesque senesque;
Sutores, fabri, pistores carnificesque
cf. II, 143. Militibus comites ibant in bella ruentes.
Vix extra villam pars agminis ultima venit,
Cunctaque per latos procedunt milia campos,
En castellani centum de valle latenti
Procurrunt equites mediosque feruntur in hostes[2].
Ut segetes grando maturas proterit olim,
Dispergunt, caedunt adversos confodiuntque,

a) placide 2. b) Cedunt 2. c) suas 1. d) utrunque 1. e) Adsendunt 1. f) Gosslar. *(sed v. 195. Gosl.)* 1; Gossarie 2. g) nec 2; nec et *emendavit Reuber.* h) malaque et m. rependunt 1. i) Densos 1. k) Gossarię 2. l) *sic emendavit Reuber;* properantur 1. 2. m) Gosslaria *(sed v. 195. Gosl.)* 1; Gossaria 2.

1) *Iurgio exorto eos trucidatos esse narrat Lambertus.* 2) *Cf. Aen. IX,* 398 *sq.:* sese medios moriturus in hostes inferat; *II,* 511: fertur moriturus in hostes; *infra III,* 142.

Colla metunt gladiis, madet undique terra cruore, 1073.
Strataque tam latos texere cadavera campos. *cf. Aen. X,*
Saxonum reliqui, tam multa strage suorum *513. IX, 331*
Visa, scuta retro iacientes, terga dedere *sq.*
Atque caballorum fodiunt calcaribus armos[a. 1].
Pars ad vicinam tendebat currere silvam,
Pars fugit ad villam, memor uxorisque domusque;
Victores instant, fugientes atque trucidant[2].
Premia nunc sceleris, gens impia, ferre videris,
Quae pro funeribus tibi sunt illata duobus.
Quid modo? Num pacem malles servasse priorem[b]?
Est[c] tibi dulce domum deferre cadavera centum?
Certe maioris sunt haec tibi signa doloris,
Quae posses plane, sis[d] si bene sana, notare.
Nam cum nec paucis numerosa resistere possis,
Invictum contra regem potes arma levare?
Cuius mira pari virtus caret[e] atque carebit,
Cuius militiae vix ultima signa tulisti.
Sed scio, dissimilem sperans succedere finem
Principiis, audes animo perstare[f] superbo.
Perge tibi poenas meritis[g] cumulare futuras!
Nondum vincla pati vel[h] claustra satis meruisti.
Dum sic dissolvunt condictum[i] foedus utrique,
Castellanorum virtus experta laborum
Fortis in arma furit, per tempora nulla quievit, *cf. Lucan. II,*
Hostibus usque nocens, sibi laudis nomen adaugens: *439.*
Nunc terram vastant preda, nunc torre vel[k] ense.
Sic castellorum[l] quoque custodes aliorum
Fines Saxonum devastavere propinquos
Quosque suis castris[m] simul igni, caede[n], rapinis
Multimodis omnes, sed primitus Arcipolenses
Certant magnificę pro[o] domni regis honore.

INCIPIT LIBER II.

Interea regis Germania laeta iubentis
Imperiis acies ad praelia misit alacres[3],

a) armo 1. b) *deest* 1. c) Et 2. d) si sis 2. e) cares 1. f) *sic corr. Waitz;* praestare 1. 2 (prest.). g) mentis 2. h) tibi *corr.* vel 1; et 2. i) edictum 1. k) et 2. l) castellarum 1. m) *quaedam h. l. deesse sine causa censet Waitz.* n) cede 2. o) domini pro *Reuber.*

1) *Cf. Aen. VI,* 881*:* equi foderet calcaribus armos. 2) *Idem versus infra III,* 176. *recurrit.* 3) *Mense Octobri ineunte exercitus in agro Hersfeldensis monasterii collectus est; Lamb. p.* 199, *qui quidem infra p.* 202, *ubi colloquium Gerstungense narrat, exercitus regii non mentionem facit, sed revera exercitum congregatum esse poeta procul dubio recte narrat.*

1073. Agmina Wangionum[a] cum robore Poiariorum[b],
cf. III, 86. Suevos, Lotharios, equites ad bella valentes,
p. 1224. His comitatus iter rex protendebat ad hostes.
cf. Aen. III, 51; Lucan. II, 113. Eius[1] ut adventum gens audiit illa propinquum[c],
Diffidens armis, spem quaerit in arte[d] salutis.
Mittit legatos ad regia castra decenos,
Ut cunctis regni primis sua nuncia ferrent.
Qui proficiscentes, ad castraque pervenientes,
Primos militiae regis comitesque ducesque
cf. Aen. VI, 499. Pontificesque pios compellant vocibus istis:
'O provisores regni regisque fideles,
Auxiliis vestris usi per prospera pacis,
Haec et consilio vitare[e] pericula vestro
Sperant nostrates. Cui parent usque volentes,
Adversus regem se deliquisse fatentur.
Sed quocunque modo vos vultis sive iubetis,
Utque placet regi, sunt haec purgare parati.
Hanc igitur veniam prestate petentibus unam,
Ut vos conveniant, rem vobis ordine pandant[2];
Et decernatis, quid vos sibi precipiatis.
Maiores nostrum, paucis tantum comitati,
Huc prope castra fide vestra venere, manentes
Vestrum consilium, vestrum super omnia iussum'.
Ad quae primates respondent cuncta placere
Haec mandata sibi, de colloquio simul illis
Esse locum dandum, si rex permittere vellet.
Et mox narrantes regi mandata, rogabant,
Ut legatorum liceat sibi verba probare.
Ipse doli nihil esse ratus, permiserat illis.
Pontifices igitur, primi[f] comitesque ducesque
Conveniunt[3] iuncti Saxonibus aequore campi[4].
Plurima Saxones de domno[g] rege querentes,
Nunc supradictas etiam meminere querelas,
Qualiter impulsi cepissent[h] talia niti;
Compositisque dolis sic pervertere potentes
Ex aequo, ceptum quo[i] quisque probaret eorum,

a) Vang. 2. b) *sic semper* 1. 2; *Reuber et Gold. ubique* Boiar. *scripserunt.* c) proinquum 2. d) arce 2; *aut* arce *aut* arte *in* 1 *legi potest.* e) vitari 2; *iam emend. Reuber.* f) primique duces comitesque 2; *cf. II,* 11. g) *alio atram. scr.* 1. h) caep. 2; coep. 1. i) quod *Waitz; sed cf. Wattenbach, 'Heidelberg. Jahrb.' 1871. p. 262.*

1) *Quae poeta v.* 6—31. *tradit multo differunt a narratione Lamberti p.* 202. 2) *Cf. Aen. III,* 179: remque ordine pando; *VI,* 723. 3) *Apud Gerstungen die Oct.* 20; *cf. Lamb. p.* 202. 4) *Cf. Aen. VII,* 781: aequore campi.

Astringantque fidem se regem commonituros, 1073.
His ut ius patrium reddat, commissa remittat;
Si nollet, se iusta petentibus haud nocituros.
Sed quibus inducti[a] primates artibus illi
Genti consensum tunc prebuerint scelerosum,
Hoc alias patefit, mihi vita salusque supersit[1].
Nunc iuvat ire viam directo tramite cęptam.
Principibus cunctis sic in contraria versis,
Fortis rex, patria virtute nitens et avita, *cf. Aen. X, 752.*
Non sua fortunae subiecit colla superbae,
Maluit in[b] paucis multorum victor haberi
Quam cędens[c] multis tanto caruisse triumpho[2].
Quid tibi nunc veteris prodest[d] sollertia fraudis,
Effera Saxonum gens? Quae tibi commoda rerum *p. 1225.*
Confert? Num scelerum poenas[3] vitasse putabas?
Rapta tene, secura sede, rape plura, licebit.
Forsan decisis rex inclitus haesitat alis,
Cum paucisque tuas formidat adire phalanges.
Accipe, quas illi laudes hac fraude parasti,
Per quam multorum pauci sumpsere triumphum,
Qua sine paucorum cęssisset[f] gloria multis.
An prestat multis multos, an vincere paucis?
Paucos maiori levat haec victoria laude;
Nam si sint plures, daret his divisa minorem.
Tale vel[g] omne bonum minus est in plura diremptum[h].
Collige iam, quid te contra reputando sequatur:
Nam si victores extollit gloria paucos,
Nonne ferent ignominiam victi numerosi?
Hoc ratio probat, adversis adversa coherent.
Qui fuerant illi tunc regia castra secuti[i],
Non de principibus quos legit regia virtus,
Primatum parit his virtus et nobilitatem:
Pauci Francorum, pars plurima Poiariorum,
E Suevis aliqui, numero, non robore pauci,
Hi veteris fidei servabant pignora soli.

a) indocti 1. b) cum *non recte Waitz; nihil mutandum est.* c) caedens 1; cedens 2. d) proderit 1 *(erit minus perspicue scriptum).* ~~e) *nota mendum contra prosodiam. Cum auctor ubique* Sāxōnes *cum duobus longis pedibus posuerit, forsan hoc quoque loco ut I, 116, III, 30.* Gens fera Saxonum *legendum est, quod et eo commendatur, ut syllaba cassurae extremae versus syllabae consona reddatur.~~ f) cess. 2. g) *emendavi;* Tale tibi 1; Tale et 2. *Cf. I,* 227 *(p.* 7, *n.* h)*; posses etiam* Taliter *emendare.* h) direptum 2. i) *signum interrogationis h. l. habet* 1.

1) *Cf. Georg. III,* 10*:* modo vita supersit; *Lucan. V,* 685*:* vita salusque.
2) *Poeta tacet regem post colloquium Gerstungense re infecta in Baioariam recessisse omnesque tristes eventus, qui ei a.* 1073. *exeunte contigerunt. Quod ut melius tegat, sequentibus multis verbis in Saxones invehitur.*
3) *Cf. Aen. XI,* 258*:* scelerum poenas.

1073. Protinus in patriam Saxonum nuncia mittens
Rex super Arcipolin castellaque caetera mandat
Militibus fidis, ne propter deficientes
Ab se primates regni cunctentur in arma,
Hostibus ut nunquam cędant[a], bene credita servent,
Se cito venturum ferro sua castra solutum.
Continuo regis castrenses iussa facessunt[b. 1],
Hostibus obsistunt, castellis quaeque propinqua
Vastantes igni, praeda vel[c] caede cruenta[2].
Postquam Saxones ex principibus redeuntes
Excussisse sibi sperabant regia frena,
Castellis aliquam tractant obtendere technam;
Resque monebat eos, clades non parva suorum.
Caetera maiori circundant obsidione,
Arcipolin autem temptare per obsidionem
Nullus presumpsit, casus memorando priores.
cf. Aen. I, 657. Ergo dolos artesque novas expromere quaerunt[d];
Immenso monti, qui proximus imminet urbi[3],
Castellum superaedificant, mirabile dictu!
Altis ilicibus tantum resecando quadratis,
Presidium patriae, vigili tutamen[e] ab hoste.
Illuc imponunt armatos mille ducentos,
Qui despectarent, hostes quodcunque pararent,
Ne quis possit[f] eis deferre cibaria; vel[g] si
p. 1226. Unquam descendant praedas[h] ad diripiendas,
Descendant ut et hii[i], concurrant[k] hostibus hostes.
Et castellanis furtim stipendia si quis
Attulit, aut caecant, suspendunt sive trucidant.
Utraque iam resident adversis agmina castris,
cf. ib. VI, 478. Hinc maior numerus, hinc bello[l] clara iuventus.
Hostibus ut noceant, vigiles speculantur utrique,
Nec ponunt fessi nocturnae membra quieti.
Nostri maiores bello numeroque minores
Saxonum turbam multo certamine temptant:
Nunc arcus[m] celeres, nunc contorsere balistas,
Hostibus adversis transfigunt pectora telis,
Nunc illis igni corrumpunt moenia[n] castri,

a) caedant 1; cedant 2. b) lacessunt 1. c) et 2; praedaque et *correxit Reuber*. d) quaerit 2. e) tutamus 2; *Reuber iam emendavit ut* 1 *habet.* f) posset 2. g) et 2. h) ad pr. 2. i) *sic* 2; hi 1. k) concurrent 2; *Reuber correxit ut* 1 *habet.* l) belli 1. m) arcem 1. n) maenia 2.

1) *Cf. Aen. IV*, 295: iussa facessunt. 2) *Cf. ib. I*, 471: vastabat caede cruentus. 3) *Harzburgensi. Bruno c.* 29 *eadem narrat quae poeta v.* 83—114. *habet; brevius earundem rerum Lamb. p.* 205, *l.* 40 *sqq. mentionem fecit.* — *Cf. Aen. I*, 419 *sq.*: collem qui plurimus urbi imminet.

Ediles[1] ipsos perimebant aut capiebant; 1073.
Sepeque perplures victu rhedas oneratas
Hostibus allatas rapiunt violenter et ipsos
Vectores[a] capiunt, caedunt funduntque fugantque. *cf. I, 106.*
Sic inter sese belli certamina miscent *cf. Aen. XII, 720.*
Illi, cum fortis rex agmina lecta suorum 1074.
Cogens, adversos cursum tendebat in hostes. *cf. ib. XII, 917.*
Regius en campis miles procedit apertis[2]
Paucus, at ingenti virtutum laude probatus,
Nęc minus induviis[b] belli quam fulgidus armis.
Loricae galeaeque tegunt fortissima cunctae
Corpora militiae; scutis impicta gerebant
Fortia facta patrum[3], quo talia visa virorum
Incendant animos solius laudis avaros[4].
Velox fama volat Saxonum nuncia genti, *cf. I, 190.*
Regem venturum ferro sua castra solutum, *cf. II, 79.*
Instructas[c] totis acies incedere[d] campis[5].
Nęc[e] mora, tam raras speculantur regis ut alas,
Confisi numero, statuunt decernere ferro. *cf. Aen. XI, 218.*
Denique per patriam mittebant nuncia totam,
Cunctus ut ad bellum populus properaret agendum.
Indiscreta ruunt e cunctis agmina villis;
Rusticus abiecto quivis discedit aratro
Et studio belli studium postponit[f] arandi.
Pastores[6] pecorum, custodes atque domorum
Preposuere suis pugnae discrimina curis.
Capta peregrinis mercator munera terris
Negligit, in bellumque ruit, securus ad horam, *cf. ib. IX, 180.*
Accedat quantum summae quantumve recedat;
Omnis conditio bellum cupit, omnis et[g] ordo.
Maxima pars pedes ivit, equis pars fertur in altis[7],
Armati variis, sibi quae sors obtulit, armis.
Tales militibus comites in bella ruebant[8]
Ignari, se quam crudelia fata sequantur,

a) Victores 1. b) indumis 2; induciis *Reuber.* c) Instructis 2. d) incendere 2; *Reuber correxit ut* 1 *habet.* e) Naec 2; Nec 1. f) praeponit 1. g) *deest* 2; *supplevit Reuber.*

1) *i. q. custodes, vigiles.* 2) *Cf. Aen. IX,* 25*:* Iamque omnis campis exercitus ibat apertis. 3) *Cf. de hoc loco Waitz, Carmen p.* 15 *sq., qui affert Verg. Aen. I,* 640 *sq.:* caelataque in auro fortia facta patrum. 4) *Cf. Horat. Ep. II,* 3, 324*:* praeter laudem nullius avaris. 5) *Rex a.* 1074, *Ian.* 27. *cum exercitu Hersfeld venit, ut contra Saxones proficisceretur; Lamb. p.* 207. 6) *V.* 135. 136. 138. 139. *infra III,* 110. 111. 113. 114. *repetiti sunt.* 7) *Cf. Aen. VII,* 624 *sq.:* pars pedes ire parat campis, pars arduus altis . . . equis furit. 8) *Cf. Aen. IX,* 180*:* in bella ruebant; *cf. supra I,* 199.

1074. p. 1227.

Infaustique suas ausi dimittere curas.
Ergo fremens[a] campis exercitus ibat apertis[1],
Cum glacialis hiems cursus frenarat aquarum[2],
Undaque, navigiis prius, est[b] modo pervia plaustris[3].
In stabulis armenta, ferae silvisque rigebant;
Multa metallorum pre frigore dissiluere,
Nec[c] minus et pluvias venti spirant hiemales[4].
Talis tempestas Saxonum contigit alas,
Ex quibus intereunt miserando funere multi.
Nam vulgus peditum gradiens per devia fessum,
Dum sedet in campis requiem quaerendo[d] laboris,
cf. Aen. XII, 905. Frigore concrescunt sudore madentia membra.
Corpora multa gelu nocturno diriguere
In silvis, hinc igne, sed hinc corrupta pruinis.
Ast equites arti carpentes pervia callis
A tergo insequitur vis maxima turbinis atri[e. 5]
Excussosque[f] via cumulo nivis abdidit altae.
Hic nec sessor equum iuvat, aut iuvat ille sedentem.
Saxonum multi ceciderunt funere tali.
Caetera de tantis pars conservata periclis,
Regis ut instructas videt adventare cohortes,
cf. 1. Macc. 6, 39. Sol et in auratas galeas clipeosque refulsit,
Cernit et erectis acies incedere[g] signis,
Horribili stupet aspectu; furit igneus ardor
Consumens villas in circuitu numerosas.
Procurrunt equites ex agmine regis alacres,
Exultantque suis flectentes colla caballis,
Alternos ineunt discursus[h] atque recursus[6],
Versuras celeres duplicantque decenter equestres
cf. Aen. XI, 254. Ac desiderio pugnandi bella lacessunt.
Nec predicta viris nocuerunt frigora tantis[7],
cf. ib. IX, 420. Nam sanguis calidus[i] fuit his et bellica virtus.
Talia Saxones irritamenta videntes,

a) *infra III*, 92, *ubi idem versus recurrit*, frequens. b) et 1. c) Naec 2; Nec 1. d) quer. 2. e) atrae 1. f) Excussossque 1. g) accedere 2. h) discursos a. recursos 1. i) callidus 1.

1) *Cf. supra II*, 118. *et p.* 11, *n.* 2. 2) *Cf. Aen. III*, 285: Et glacialis hiems; *Georg. IV*, 135 *sq.*: Et cum tristis hiems . . . glacie cursus frenaret aquarum. 3) *Cf. Georg. III*, 361—363: undaque . . . puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris, aeraque dissiliunt volgo vestesque rigescunt; *ib.* 352: clausa tenent stabulis armenta. 4) *Cf. Lamb. p.* 207: Frigus erat validissimum, et hiberna siccitate arebant omnia *etc., cum rex Hersfeld venisset.* 5) *Cf. Aen. X*, 603: turbinis atri. 6) *Cf. Aen. V*, 583 *sq.*: inde alios ineunt cursus aliosque recursus adversi spatiis alternosque orbibus orbes. 7) *Regis exercitus propter frigus annonae inopiam passus est, ut Lamb. refert.*

Quid faciant? quid agant? qua vi certamina temptent? 1074.
Languida vix tanto motabant frigore membra.
Armis[1] exuti, demissi colla superba *cf. Aen. VIII, 61.*
Nudatique pedes pariter cum supplice voto
Regis castra petunt, cui se sua cunctaque dedunt[2]. *cf. III, 252.*
Carmine quo tanti laudes celebrabo triumphi,
Tempore de Karoli[a] qualis non contigit ulli?
Virtus celsa dedit hic[b] quod natura negavit,
Quae sic in cunctis vires animantibus aequas
Destinat esse suas, ut maior turba minori
Eiusdem generis certamine prestet in omni[3].
Vix modo victores devictos addecimabant[c], *p. 1228.*
Milia sex vincunt, decies tot victa fuere.
Participes tanti felices[d] usque triumphi,
Virtus vestra[e] feret decus immortale per aevum
Pro tantis meritis, si quid mea carmina possunt[4].
Nec mihi quis dicat: 'Non haec victoria praestat,
Non sunt victores tam multa laude notandi,
Qui non pertulerant ullum vincendo laborem,
Non hostes iugulant nec terram[f] caede cruentant'.
Concertare valens num quisquam supplicat hosti? *cf. Lucan. II, 113; supra II, 7.*
Num fidens armis spem quaerit ab hoste salutis?
Tanto maiorem fert haec victoria laudem,
Quanto maior erat honor hostibus imperitare
Vivis quam gladiis vel[g] quavis caede peremptis.
Rex igitur, facta Saxonum deditione,
Supplicibus mitis, contrarius atque superbis,
More leonino, substratis hostibus, iram
Iustam deposuit commissaque cuncta remisit.
Ibat per patriam rex invictissimus illam,
Incorrecta regens, leges et iura reponens,
Restituens cunctis sua dudum despoliatis.
Hinc propriam sedem tendens ad Goslariensem[h. 5],
Saxonum genti dat patria iura petenti,

a) Car. 1. b) huic *Reuber.* c) *vox alio atramento inserta* 1. d) foel. 1. 2.
e) nostra 2, *quod Waitz recepit.* f) *deest, spatio vacuo relicto* 1. g) et 2. h) Gossar. 2.

1) *V.* 180 *sq. infra III,* 284 *sq. recurrunt.* 2) *Die Febr.* 2. *pactum ictum 'est, et principes Saxonum ad regem venerunt. Quam adulatorie in favorem regis poeta de hoc pacto retulerit, ad quod accipiendum rex invitus a principibus coactus esse a Lamberto dicitur, cunctis patet.* 3) *Saxonum exercitum regis copiis multo maiorem numero fuisse etiam Bruno c.* 31, *qui eum duplo maiorem dicit, et Lamb. p.* 207. *tradunt.* 4) *Cf. Aen. IX,* 444: si quid mea carmina possunt; *cf. supra I,* 142. 5) *Mense Februario ineunte.*

Per totam patriam pacis[a] iubet esse quietem,
Iusto iudicio causas componit et aequo.
Hic quoque militiam donat bene munere dignam:
Ad se custodes castrorum convocat omnes,
Castraque reclusis iubet esse patentia portis[1].
Primitus insignes donavit et Arcipolenses
Muneribus meritis, auri dat pondera puri,
Ingentesque viros extollit honoribus amplis;
Virtutem laudat, bene gestaque praelia iactat.
Nanque[b] solet virtus hominum committere maius,
Acrius atque calet[c], si laus sua facta sequatur.
Sic castellorum quoque presidiis aliorum
Munera condigne[d] dat pro quorumque[e] labore.
Sic ibi dispositis rebus, pacemque fideli
Mente gerens factisque probans, se transtulit inde[2].

LIBER III.

At gens exitio dudum devota futuro[3],
Ut fuerat solitae concessa licentia praedae,
Concipit immanem diro[f] sub corde furorem
Et ruit effrenis, quo se tulit impetus amens[4].
Fana profana simul miscet, fas discidit omne
Criminibusque novis dissignat foedera pacis.
Praesidiis vacuam, placida iam pace quietam[5]
Arcipolin armis invadunt milia gentis,
Moenia despoliant, aeraria regia frangunt,
Thesauros cultusque[g] novos auroque rigentes[6],
Aurea vasa, ciphos, lances, insignia regni
Plurima diripiunt, incendunt moenia flammis,
Adversusque Deum[h] vertentes arma furoris,
Ecclesiam invadunt, avellunt aurea mensis
Ornamenta sacris, tabulas capsasque rescindunt
Atque sacerdotes sua munia iam celebrantes,
Vestibus abscissis[i], audent obtundere[k] pugnis
Auratasque cruces manibus lacerare cruentis

1074.

cf. Aen. IV, 109.

cf. ib. IV, 501 sq.

p. 1229.

cf. Aen. V, 685.

a) *bis scriptum* 1. b) Namque 2. c) calcet 1. d) condigna *corrigendum censet Waitz p.* 8, *sed hic poeta syllabam brevem penthemimeris nusquam longam usurpat, et syllaba extrema consona* (labore) *obstat.* e) quocunque *correxit Reuber, quod et Waitz coniecit, sed lectionem veram rectamque esse censeo.* f) dire 1. g) cultosque 1. h) ducem 1. i) abscisis 1. k) obtendere, *corr.* obtondere 1.

1) *Ut castella regis destruerentur, conditio pacis a Saxonibus statuta est.* 2) *Wormatiam mense Martio.* 3) *Cf. Aen. I,* 712: pesti devota futurae. 4) *Cf. Lucan. IV,* 279: impetus amens. 5) *Cf. Aen. I,* 249: placida compostus pace quiescit. 6) *Cf. Aen. XI,* 72: auroque ostroque rigentis.

Et defunctorum violare sepulchra, reiectis 1074.
Ossibus; intactum nullum liquere[1] furorem,
Flammarumque globos iactant ad culmina templi[2];
Venti dant vires flammis, furit aestus ad auras[3],
Aequaturque solo regalis machina tota.
Sic aliis castris, custode carentibus, igni
Incensis, plures ornatibus expoliatas[a] *cf. Aen. XI, 186; infra III, 234.*
Ecclesias etiam corrumpunt ignibus atris.
Multas regales devastant undique curtes;
Pupillis, viduis violenter dilaceratis,
Multiplicant praedas, confundunt fasque nefasque.
Gens fera Saxonum, factrix memoranda malorum,
Est haec deditio tua? Sunt haec foedera pacis
Condictae? Tales volvisti pectore fraudes?
Quis tua non stupeat crudelia facta fidelis?
Fraudis vel scelerum venient tibi digna tuorum
Premia. Perge modo, rape, destrue, distrahe cuncta! *cf. Aen. I, 401.*
Non divina fides, te[b] non humana reflectat.
Facti fama volat[4], totum regnumque replebat.
Cuncti Saxonum crudelia sacrilegorum
Facta stupent artesque novas pollutaque pacis
Foedera. Primates propriis se vocibus ultro
Incusant gentem prius hanc audisse nefandam
Fallentemque dolis et regia iura negantem.
Detestatur[c] eos simul omnis sexus et aetas.
Nec mora[5], percepto rex magnus crimine tanto,
Egregia pietate nitens, fortissimus armis[6],
Zelo[d] iusticiae flammato pectore fervet,
Adversum tantos praesumptus colligit iras;
Ignescunt animi iusto sub corde feroces; *cf. ib. IX, 65.*
Non sua iam, sed iura Dei violata dolebat.
Imperat exciri totius robora regni
Armavitque acies, acer ruiturus in hostes.
Regis ad edictum[e] cuncti se in bella parabant, 1075.
Aeque maiores, aeque studuere minores[7].

a) expoliatis 1. b) non te 1. c) Detestantur *Reuber.* d) *sic* 2; Zelo 1. e) *sic* 1; aed. 2.

1) *Cf. Hor. Carm. I*, 35, 35. 36: quid intactum nefasti liquimus. 2) *Cf. Verg. Georg. I*, 473: Flammarumque globos; *Aen. II*, 478: flammas ad culmina iactant. 3) *Cf. Aen. II*, 758 *sq.*: ignis edax summa ad fastigia vento volvitur, exuperant flammae, furit aestus ad auras. 4) *Nasonis arg. Aeneidis IV*, 5, *Ribbeck, Prol. ad Verg. p.* 372: Facti fama volat. 5) *Castro Harzburg a.* 1074, *Mart. destructo, exercitus contra Saxones demum a.* 1075, *Iun. coactus est.* 6) *Cf. Aen. VI*, 403: pietate insignis et armis. 7) *Idem fere versus supra I*, 63.

1075. Arma novant, animos acuunt, docuere caballos
Currentes facili cervice reflectere cursus,
Horrificos belli non exhorrere tumultus.
p. 1230. Primus init bellum[1], cogens in praelia secum
Suevos unanimos[a], dux fortis in arma Rodolfus[b],
Quos prius expertos Saxonica bella celebrat
Gloria quaesiti Carolo sub rege triumphi[2].
cf. Ecl. I, 62; Lucan. VI, 475 sq. Hic et in arma rapit secum quos patria misit
Curia, mille manus Ararim Rodanumque bibentes[3].
Hos Romanorum sequitur de gente vetusta[4]
Dux Catulus[5] nomen referens moresque genusque.
Signa ducis sequitur gens inclita Poiariorum,
Quam totiens domitis celebrat victoria Parthis[6]
Et nunquam violata fides bellisque probata
Virtus Poiemicis[c] multisque superba triumphis.
Necnon Wangiones[d] ibant in praelia fortes,
Gens antiqua, potens armis et munere terrae[7],
Regia signa sequi bello quae gaudet in omni
Solaque regales servat per praelia fasces[8];
Nunc quoque signa sui sequitur fulgentia regis,
Agmine multiplici cingens insignia regni.
cf. Aen. XI, 678. Rex cunctas acies excellens vertice celso
Alto fertur equo, mediis in milibus extans;
Arma nitent aurata nitentibus addita membris,
Emicat e cunctis rutilans ut lucifer astris.

a) unanimes 2. b) Rhodolfus 1; Rudolphus 2. c) poienicis (*aut* polenicis) 1; Boiem. *semper Reuber, Goldast.* d) vang. 2.

1) *Iun.* 8; *cf. Lamb. p.* 223. 226. — *Cf. Aen. VII,* 647: Primus init bellum. 2) *De hoc iure vide quae affert Waitz, 'D. VG.' VIII, p.* 181, *n.* 4; *Carmen p.* 18. 3) *Burgundiones. Rudolfo enim cum ducatu Sueviae a.* 1057. *etiam Burgundia regenda commissa est.* 4) *Cf. Aen. IX,* 282: Priami de gente vetusta. 5) *Welfo IV. dux Bavariae, filius Azonis II. marchionis Estensis. Primus Otloh in Vita Altonis c.* 10, *supra p.* 844, *nomen Catuli habet. — Geneal. Welf. c.* 5, *SS. XIII, p.* 734, *circa a.* 1126. *scripta, hoc nomen* a Romano nobilissimo Catilina in hanc prosapiam sanguinis *descendisse dicit. Cf. Hist. Welf. Weing. c.* 2, *SS. XXI, p.* 458. 6) *Ungaros dicit; cf. duos locos saec. X. allatos ab E. Dümmler, 'Ostfränk. Reich' ed.* 2. *III, p.* 450, *n.* 3, *ubi Ungari Parthi dicuntur.* 7) *Cf. Aen. I,* 531: Terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae. 8) *Cf. Waitz, Carmen p.* 19 *sq. In diplomate Heinrici IV. Wormatiensibus a.* 1074, *Iun.* 18. *dato (St.* 2770) *haec leguntur:* Sint igitur servitii remuneratione primi, qui in servitii devotione exstiterunt non novissimi; sint omnibus exemplo in debita servitii responsione, qui omnibus praestant in servata fidei religione; *cf. Gundlach, 'Dictator' p.* 164.

Post hos[a] insignis dux[1] agmen agit Gotefridus[b], 1075.
Corda[c] gerens patris[2], quamvis sit corpore dispar[3],
Consuetas iuvenum ducens ad bella phalanges,
Ripheas habitant urbes Thilen Nimagumque[d], *cf. Georg. I, 240.*
Extremos regni fines, ubi bella moventur
Semper, et hostili crudescit sanguine terra[4].
Tum dux[5] Lotharios Tiedricus cogit in arma,
Dux insignis eques in equestria bella valentes *cf. II, 4.*
Turmas educens, armis animisque vigentes.
Et Westvalorum[e], Fresonum, Poiemiorum
Exibant acies accitu regis alacres,
Milia multa nimis decorata nitentibus armis.
His comitatus iter rex ultor tendit in hostes. *cf. II, 5.*
Ergo frequens campis exercitus ibat apertis[6]; *cf. Aen. IX, 25.*
Tellus cornipedum cursu pulsatur equorum[7].
Talia Saxones ex fama percipientes,
Absumpti figmenta prius fraudesque dolosque,
Coguntur tandem nunc se defendere bello.
Emittunt equites strictis mucronibus[8] acres
Per totam patriam vulgi concire catervas *p. 1231.*
Omnes ad bellum, seque et sua quemque tuendum.
Concita plebs rerum mox ardet amore novarum.
Omnes agricolae, fractis agrestibus armis,
Arma parant belli durisque ligonibus enses *cf. Aen. IV, 290.*
Conflant ancipites[9] curvis e falcibus, hastis
Spicula praefigunt[10]. Pars aptat scuta sinistris
Levia, pars ferro galeas imitatur equestres,
Pars triplici philtro; fustes ad praelia quernos
Milia multa parant, plumbo ferroque gravabant.
Mille modis acies ad bella[f] armantur agrestes. *cf. ib. IX, 11.*
Squalent[g] arva suis cultoribus expoliata[11].
Pastores[12] pecorum, custodes atque domorum
Preposuere suis belli discrimina curis.

a) hoc 1. b) Gotfridus 1. c) Corde 1 ? d) Numag. *corr.* Nimag. 1. e) Vuestualuorum 2. f) bellum 2. g) Squallent 1.

1) *III. Lotharingiae inferioris.* — *Cf. Aen. VII*, 655: Post hos insignem; *XII*, 457: agmen agit. 2) *Gotefridi II. ducis.* 3) *Fuit enim gibbosus.* 4) *Cf. Aen. VII*, 788: crudescunt sanguine pugnae; *cf. infra v.* 153. 5) *Lotharingiae superioris.* 6) *Idem versus iam supra II*, 146. 7) *Cf. Aen. VI*, 591: cornipedum pulsu simularet equorum. 8) *Cf. ib. II*, 449: strictis mucronibus. 9) *Cf. Lucan. IV*, 294: durisque ligonibus. — *Georg. I*, 508: curvae rigidum falces conflantur in ensem. 10) *Cf. Aen. IX*, 463 *sq.*: in hastis praefigunt capita. 11) *Cf. Georg. I*, 507: squalent abductis arva colonis. 12) *V.* 110. 111. 113. 114. *iam supra II*, 135—139.

Quisque frequens curas convertit[a] ad arma redemptor[1],
Concitus in bellumque ruit, securus ad horam,
Accedat quantum summae quantumve recedat.
cf. I, 201. 207. Ergo tegunt latos passim tot milia campos,
Quot vel[b] pontus agit fluctus vel[b] messis aristas.
cf. Aen. IX, 199. Nec minus assuetae bellis armisque phalanges
Indocili turbae[c] dictant[d] discrimina pugnae
Irritantque rudes verbis ad praelia mentes:
Quam sit turpe iugum servile pati dominorum
Ingenuos, quantumque mori sibi praestet in armis.
His aliisque[e] modis accensum pectora vulgus
Indomitum specie belli preludit agendi,
Per virgas discens subducere corpus ab ictu,
Et iuvat armorum sonitus clangorque tubarum[2];
Sic ruit exitii gens inconsulta futuri[3].
Nec mora[4], iam cunctae transportantur vada turmae[f]
Fluminis Unstardi[5], qui cladem nomine genti
Iam praesignasset[6], si non tardanda fuisset.
Ecce vident nigras glomerari pulvere nubes
Et magis atque magis tenebras insurgere campis[7].
Paulum progressi longe splendescere cernunt
Aeratas acies[8] erectaque signa volare.
Quid faciant? Iam nulla doli figmenta patebant,
Nec transire fuga poterant vada fluminis alti.
Ergo manu conferre parant cunctasque phalanges
cf. ib. I, 395. Sacrilegas bello disponunt ordine longo[9].
Regius instructis processit suaviter alis
Miles et adversos iamiam properabat[g] in hostes.
Suevi, Poiarii, qui regis in agmine[h] primi
p. 1232. Extant, quos celebrat numerosis fama triumphis,
cf. I, 203. Praecurrunt[i] celeres primique feruntur ad hostes.

a) cum vertit 2. c) et 2. c) *deest* 1, *signo posito, quod indicat vocem quandam deesse.* d) pugnae discr. dictant 1; *syllabae caesurae et extrema consonae indicant* 2 *veram lectionem praebere.* e) que *deest* 1. f) termae 2; *Reuber corr. ut* 1 *habet.* g) propiabat 1. h) regis imagine 1. i) Percurrunt 1.

1) *Cf. Horat. Carm. III,* 1, 34 *sq.:* Huc frequens caementa demittit redemptor. 2) *Cf. Aen. VII,* 628*:* signaque ferre iuvat sonitusque audire tubarum; *ibid. II,* 313. *XI,* 192*:* clangorque tubarum. 3) *Lucan. I,* 498*:* turba . . . inconsulta ruit. 4) *Prope Homburg ad fl. Unstrut die Iun.* 9. *proelium commissum est.* 5) *Unstrut. Hoc loco et infra v.* 188. *poeta verba* Unstardus *et* tardare *coniungit.* 6) *Waitz, Carmen p.* 12. *optime censet poetam vocem* unstate *(damnum) in mente habuisse.* 7) *Cf. Aen. IX,* 32 *sq.:* hic subitam nigro glomerari pulvere nubem prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis; *II,* 299: et magis atque magis. 8) *Cf. ib. IX,* 461*:* aeratasque acies. 9) *Poeta tacet, quod Lambertus, Bruno, Bertholdus referunt, Saxones improvidos adventu exercitus regis occupatos esse.*

Hastas decurtant et certis corpora signis 1075.
Scutaque discreti densos rapiuntur in hostes.
Bellicus exoritur magno certamine clamor;
Irrumpunt telis[a], quae confertissima stipant
Agmina Saxonum, deiectant undique lęto[b]
Corpora, maturas ceu falx succidit aristas[1].
Ense metunt capitum segetes, miserabile visu!
Ense parant medios iter, est[c] quacunque, per hostes.
Non tegit indutos artus lorica fidelis[2],
Nec caput auratae galeae, moriuntur ubique. *cf. Aen. VII, 788; supra III, 84*
Strata cadaveribus crudescit sanguine tellus;
Ingruit armorum sonitus clamorque cadentum.
Ancipites gladii numerosa clade[d] calescunt,
Seminecesque viris permixti sanguine multo
Provolvuntur equi, traiecti pectora ferro[3].
Horrificus belli crebrescit ubique tumultus,
Saepeque Saxones immensa caede cadentes
Audent obniti, ne sic moriantur inulti,
Victoresque suos vario certamine temptant;
Accipiunt redduntque ictus; mars saevit utrimque. *cf. I, 163.*
Hic pedibus calcans sua viscera currit in hostem, *cf. Ovid. Met. XII, 390 sq.*
Ille trahens proprio gelidum de corpore ferrum,
Interfectorem moriens interficit hostem.
Utraque sic odiis certabant agmina diris,
Cum fortis subito rex irruit agmine denso[4]
In medios hostes, proculcans obvia quaeque
Agmina Saxonum cunctantia sacrilegorum.
Fulminat egregiis rex ipse coruscus in armis[5],
Plurima consternens periurae milia gentis[6].
Nec mora, ceu tenuis ventorum flamine pulvis
Diffugit, a facie regis sic agmen et omne:
Scutis dorsa tegunt, volucri cursuque recedunt.
In spe nulla salus, ruit inrevocabile vulgus[7].
Victores instant, fugientes atque trucidant[8].
Et nisi iam caelum densatae pulvere nubes *cf. Lucan. IV, 767 sq.*

a) tęlis *h. l.* 2. b) laeto 1; loeto 2. c) *nescio an* et *emendandum sit.* d) cęde 2.

1) *Cf. Georg. I,* 348: falcem maturis quisquam supponat aristis. 2) *Cf. Aen. IX,* 704: lorica fidelis. 3) *Cf. ib. IX,* 453: seminecisque viros; *XI,* 633—635: sanguine in alto armaque corporaque et permixti caede virorum semianimes volvuntur equi; *I,* 355: traiectaque pectora ferro. 4) *Cf. Aen. II,* 450. *XII,* 642: agmine denso. 5) *Cf. ib. XII,* 654: Fulminat Aeneas armis. 6) *Sane poeta fortitudinem regis in hoc proelio probatam in maius extulit; quod non mirum est.* 7) *Haec Lucani I,* 509. *verba* ruit inrevocabile vulgus *etiam Vita Heinrici c.* 11. *occurrunt.* 8) *Idem versus iam supra I,* 213.

Texissent visusque sequentum detinuissent,
Ultimus ille dies genti luxisset iniquae[1].
Sed tamen in caecis multi cecidere tenebris,
Corpora perfossi telis gladiisque secati.
Milia multa cadunt hostili vulnere nullo
Tacta, sed in fluido[a] collapsi membra cruore[2]
Cornipedum pedibus mox inculcantur equorum.
Mortis mille modis moriuntur milia gentis.
Sic et ad Unstardi veniunt vada fluminis alti[b].
p. 1233. Quid faciant? Quos a tergo ferit hosticus ensis,
Altus ab adverso Unstardus tardabat abire.
Decernunt dubiam magis attemptare salutem
cf. Aen. II, 359. In fluvio quam non dubiae succumbere morti;
Insiluere vadis inconsulti malefidis.
Hostis eos ferro[c] retro premit, imminet, urget;
Involvuntur aquis certatim saucia sanis
cf. ib. IX, 666. Corpora mixta fere[d] quot densa grandine guttae;
Milia multa nimis sic interiere sub undis.
Caeruleum iam purpureo mutata colorem
Defluit unda rubens; humana cadavera pontes[e]
Nostris praebebant transire volentibus ultra.
Sic transportatus cum turmis dux Gotefridus[3]
Hostes ex undis servatos irruit armis,
Fervidus innumeras prostravit et ipse catervas,
Circumquaque premit fugientes atque peremit.
Usque furit gladius confundens stragis acervos[4].
cf. ib. I, 374. XII, 109. Dum nox composuit pariter bellumque diemque,
Poiemii, castris Saxonum despoliatis,
Vestibus occisos nudant truncantque iacentes,
Plurima diripiunt carpenta ferentia victum
Atque suis multas castris traxere rapinas.
Saxea gens, nunc digna tuis cape praemia factis!
Sic bene quesisti[f], quae patria iura petisti!
Ius certe quodcunque feres et conditionem,
cf. Lucan. I, 3. Amplius ex dextrae[g] victricis munere pendet.
Rex vespertinus victor de caede reversus,
Imperat exquiri, quae saucia, quaeve suorum

a) fluvido 2. b) atri 2; *sed cf. v.* 135. 187. c) r. f. 2. d) feno 1. e) pontem 2. f) quaes. 1. g) detrę 2.

1) *Cf. Aen. IX,* 756: Ultimus ille dies bello gentique fuisset. 2) *Cf. ib. III,* 663: fluidum . . . cruorem; *IV,* 391: conlapsaque membra. 3) *Lamb. p.* 227. *scribit exercitum regium non ultra fluvium fugientes hostes persecutum esse. Sed vera poeta hoc loco tradere videtur; quae et Bertholdi narratione quodammodo confirmantur.* 4) *Cf. Aen. VI,* 504: confusae stragis acervum; *XI,* 384.

Corpora per campos iaceant occisa cruentos, 1075.
Saucia committi medicis, defuncta sepulchris[1].
Postera cum primum[a] stellas lux alma fugarat[b.2],
Agmina militiae iubet ad se cuncta vocare[c],
Ipse dehinc medius consurgens, talia fatur:
'Virtus vestra meum quanti perpendat honorem
Ac decus imperii, declarant bella peracta;
Mecum vos animas in aperta pericula vestras
Misistis[3], gentem domuistis in arma ferocem. *cf. Lucan. IV, 146 sq.*
Nec dubitata mihi fuit haec victoria belli,
Dum me vestra comes virtus sequeretur in arma, *cf. ib. II, 287.*
Qua comitatus ego securus in omnia vado.
Maximus en vobis labor est pugnando peractus;
Nunc agitate fugae versos, componite bellum!
Illorum fines invadite depopulantes,
Ut commissa luant, qui iura Dei violabant. *cf. Georg. IV, 454.*
Nec fuga salvet eos, bello quos arma nequibant'.
Vix ea dicta dabat, simul omnes signa levabant,
Acriter hostiles invadunt undique fines.
Vastatas praedis villas dant ignibus atris[4],
Consumptor furit immissis vulcanus habenis[5]. *p. 1234.*
Sic rex per patriam deducens agmina totam,
Cuncta timore domat, vi castraque cepit[d] et urbes,
Ecclesias Christi tantum defendit ab igni.
Poiemii variant praedas rapiuntque trahuntque;
Hi pecus e stabulis abigunt ardentibus, illi
Multis plaustra onerant spoliis ex igne receptis.
Hi monstrant fossas loca per secreta repertas,
In lucemque trahunt argenti pondus et auri[6]
Defossi, pulchras vestes, insignia multa;
Ast alii, latebris silvestribus arte repertis,
Pluribus extractis[e] gaudent ditescere praedis;
Vis et odora canum[7] nonnullis commoda rerum
Monstrat in obscuris penitus defossa cavernis. *cf. Aen. X, 526.*

a) *sic* 2; primo stellas *Verg. l. l.*; stellas primum 1. b) *sic* 2. *Verg. l. l.*; fugavit 1. c) vocari *Gold.* d) *sic* 2; cepit 1. e) exactis 1.

1) *Sequenti demum die hoc factum esse refert Lamb.; vide etiam Bruno c.* 47. 2) *Iun.* 10. — *Cf. Aen. V*, 42 *sq.*: Postera cum primo stellas oriente fugarat clara dies; *I*, 306: ut primum lux alma data est. 3) *Cf. Aen. IX*, 660: animasque in aperta pericula mittunt; *cf. ib. XI*, 360; *Lucan. I*, 299 *sq.* 4) *Cf. Aen. XI*, 186. *et Lucan. II*, 299: ignibus atris. 5) *Cf. Aen. V*, 662: furit inmissis Vulcanus habenis. 6) *Cf. ib. I*, 359: argenti pondus et auri; *Georg. II*, 507: defossoque . . . auro; *Hor. Sat. I*, 41 *sq.*: argenti pondus et auri furtim defossa . . . terra. 7) *Cf. Aen. IV*, 132: et odora canum vis.

1075. Paucis Saxonum remanet domus aut pecus aut res.
Per totam patriam nullus vastantibus obstat.
Plures in silvis latitantve[a] palustribus herbis,
cf. II, 182. Plures castra petunt regis seque et sua dedunt,
Quis vel nunc veniam clementia regia donat.
Rex victor, patria sic undique depopulata,
Agmina muneribus donans dimittit opimis[1].
Ipse[2] renitentes nec adhuc sua frena ferentes
cf. Aen. XI, 351. Fidentesque fugae non destitit exagitare;
Bello multiplici petit illos semper et acri,
Nunc hac, nunc illac fines invasit eorum;
cf. ib. II, 748. Ipsis per curvas valles silvasque moratis
Improvisus adest[3], agitantibus ocia tuta.
Pontifices[4], comites[5] cepit[b] reliquosque fugavit,
Quaeque relicta prius flammis nunc tradidit atris.
His aliisque modis rex invictissimus hostes
cf. I, 120. Conterit atque premit. Nec adhuc gens victa quievit,
Sed iuga detrectat vel[c] regia iura negabat.
cf. Georg. III, 57. Ergo superborum rex debellator et ultor
Rursus in arma vocat[6] lectissima quaeque suorum
Agmina, Lotharios cum Francis Poiariisque,
Invictas acies bello[d], sectatur et hostes,
Certus eos toto iamiam propellere regno.
Exue duriciam cordis, gens saeva, vel ipso
Temporis articulo! Iam nunc delebere vel tu
Vel tua posteritas[e], ni[f] colla superba remittas.
Victa resistis ei, cui nullus restitit[g] unquam?
Exhorresve[h] pio regi tua dedere colla?
Num pessundatus est quisquam sibi deditus unquam?
Subdere[i] clementi, supplex[k] substernere[7] miti!
p. 1235. Ipse paternorum certissimus assecla morum

a) latitant ne 2; latitantque *Reuber.* b) *sic* 2; cepit 1. c) et 2. d) *sic distinguit* 2; acies, bello sect. 1. e) prosperitas 2; *Reuber corr. ut* 1 *habet.* f) nisi 2. g) restit 2. h) Exhorres ne 2 *(quod praeferendum esse censet Wattenbach, 'Heidelberg. Jahrb.' 1871. p. 262; sed vide n. a); hic et sequens versus in marg. suppl.* 1. i) *hunc versum Waitz ante v. 277. posuit; sed v. n. 7.* k) supplex 2.

1) *Mense Iulio; Bruno c.* 53. 2) *V.* 256—263. *poeta caute et obiter tantum expeditionem illam parum prosperam tangit, qua rex per Boemiam marchiam Misnensem mense Septembri invasit; Lamb. p.* 232 *sq.* 3) *Cf. Aen. IX,* 48*:* inprovisus adest. 4) *Bennonem episcopum Misnensem rex Misnae cepit; Lamb. l. l.* 5) *Lamb. p.* 232*:* homines plerosque ingenuos in dedicionem accepit. 6) *Exercitus die Oct.* 22. *collectus est; Lamb. p.* 233 *sq. — Cf. Aen. VII,* 694*:* agmina in arma vocat. 7) Subdere *et* substernere *imperativos passivi esse censeo, quos auctor ratione medio aevo haud rara (ut dicimus, sensu 'mediali') posuit pro* subde te, substerne te.

Parcet[a] subiectis debellabitque[b] superbos[1]. 1075.
Ergo propinquantis dicto cum milite regis
Castra petunt humiles Saxonum quique valentes,
Iam diffidentes armisque dolisque fugaeque,
Armis[2] exuti, demissi colla superba
Nudatique pedes, cuncti cum supplice voto
Regi se dedunt omni sine conditione[3].
Ecce tenes solitum tibi[c], rex invicte, triumphum,
En[d] tua frena pati gentem effrenem docuisti.
Ut virtute geris, sic et pietate parentes,
Rex auguste, gere, vel[e] substratis miserere!
His satis exempli, fortissime, iam statuisti,
Si qui forte tuis obsistent amplius armis.
Nunc tibi supplicibus propone quibusque futuris,
Quid de te sperent, dum se tibi, rex pie, dedent!

a) Parcit submissis 1. b) *emendavi;* debellaturque 1. 2. c) tu 2. d) Cum 2. e) tu 2.

1) *Cf. Aen. VI,* 853: parcere subiectis et debellare superbos. 2) *V.* 285. 286. *iam supra II,* 180 *sq.* 3) *Die Oct.* 25.

CONQUESTIO HEINRICI IV. IMPERATORIS AD HEINRICUM FILIUM.

Proli dilectae summo pater exul in orbe
Querere[a] virtutem, quae dat quesita salutem.
Cum naturale constet natos adamare
Patres, et cum sis mihi filius unicus heres,
Miror non[b] modicum, quis te mihi fecit iniquum.
In me naturae queris contrarius esse.
Exul agor patria, tu delectaris in illa.
O mitem natum! quis te fecit sceleratum?
Ei mihi! quis patrem contempnere suasit inermem?
O res, res mira! vere, vere reprobanda!
Queso, quis audivit haec, vel quis talia vidit,
Gaudeat ut[c] natus, pater exul et exagitatus?
Inspice scripturas, res gestas atque futuras:
Numquam reperies, quin peste patris fleat heres.
Sed tu tristaris de prosperitate parentis.
Quis dedit exemplum, cum non sit in orbe repertum
Hactenus huic simile? Quidnam[d], quod credis habene
Esse diu rector tu tanti criminis auctor?
Unde scelus tantum? Puto de pietate parentum.
Quae tibi natura? Nec mater erat tibi dura,
Nec sevus[e] genitor, Deus est mihi testis et auctor —
Nescio de matre —, numquam carui[f] pietate.
Quid tibi peccavi, nisi quod te totus amavi
Et patrio more ditavi regis honore?
Nunc tua prosperitas diras infert mihi poenas.
O superi! mitis quae talia premia patris!
O fili, fili, mihi quam dulcissime fili!
Si tibi sunt animus, probitas, reverentia, virtus,

a) Quere *c.; corr. Watt.* b) in *c.; corr. Watt.; Gundlach p.* 46. immodicum *legens contra prosodiam peccavit.* c) nunc *c.; corr. Watt.* d) quod numquam cr. habere *c.; nescio an legere possis:* simile quod? Numquid credis habene; habenae *legendum esse coniecit etiam W. de Giesebrecht.* e) servus *c.; corr. Watt.* f) cavi de *c.; cf. v.* 74; caruit *coniecit Gies.*

Quid sit Aquisgrani[a] factum, poteris memorari[b],
Quo te[c], nobilium, servorum tumque[d] clientum
Spernens[e] consilia, mihi qui dixere futura,
Constitui regem, propriam tradens tibi sedem[1];
Quo mihi iurasti, quod post male, credo, negasti,
Te sine me regnum me vivo non habiturum[2].
Nunc ubi iura, fides, nati pietas? ubi leges?
Vis[f] me deceptum, quia donavi tibi regnum,
Censes pellendum, quia commisi[g] tibi regnum,
Exerces odia pro fascibus[h] atque corona.
Ut quid persequeris me? quae merces pietatis?
Quis probet haec acta, mihi cum reddis male facta?
Spes mala, spes dura, si cum patribus peritura
Est exaltatis horum conamine natis.
Absit, ut haec facias! Tibi sum pater; accipe causas,
Neu des exemplum tibi subiectis abolendum,
Et dicat quivis: 'Haec exemplaria regis'.
Prostrati, flentis potius miserere parentis.
Famae parce tui, si non vis parcere patri.
Aspice, quod nostrum vexat discordia regnum.
Propter nos orta, propter nos desinat ira.
Nec mirum, plebes si discordant, ubi reges.
Pensa, quod caeli dant signum raro sereni
Imbribus effusis, turbati nubibus atris[3].
Aspice, quod signa portendunt sidera mira:
Quaedam fulgescunt nimium[4], quaedam tenebrescunt[5]
Insolite, sed non sine causa nec ratione:
Dum nova spectantur, maiora[i] damna[k] parantur.
Ecce procul dubio, quae splendet ab ethere summo,
Mutandos reges designat rara cometes[6].

a) Aquisgranis *c.; corr. Watt.* b) memorare *c.* c) tibi *c.; corr. Watt.* d) *conieci;* tibi *c.;* sive *proposuit Watt.* e) Spernen *c.; corr. Watt.* f) *conieci;* Is *c.;* His *proposuit Watt.* g) commisit *c.; corr. Watt.* h) fascia *c.; corr. Watt.* i) *nescio num auctor contra prosodiam peccaverit, an* maiorum *legendum sit.* k) *correxit Gies.;* dona *c.*

1) *Quod a.* 1099, *Ian.* 6. *factum est.* 2) *Cf. quae Heinricus IV. ad Philippum regem Franciae scripsit, Jaffé, Bibl. V, p.* 242, *SS. VI, p.* 370: ut in primis contra fidem et sacramentum, quod ut miles domino iuraverat, regnum meum invaderet. 3) *Cf. supra p. XIII, n.* 4. 4) *Cf. Ekkeh. a.* 1105, *SS. VI, p.* 230: Pridie ante vigiliam nativitatis Christi visus est ab occidente tantus inter sidera ignis flammare, ut solis iubar crederetur; *Sigeb. a.* 1106, *SS. VI, p.* 369: 4. Non. Februarii stella per diem visa est in caelo. 5) *Cf. Chron. regia Colon. ed. Waitz p.* 44: Luna obscurata est per aliquot horas noctis 15. Kal. Aug. 6) *De cometa, qui a.* 1106, *mense Februario apparuit, vide Sigeb. SS. VI, p.* 369; *Ekkeh., ib. p.* 234 *sq.; Ann. S. Mariae Ultraiect., SS. XV, p.* 1302; *Chron. reg. Colon. p.* 43; *Ann. Egmond., SS. XVI, p.* 448; *Ann. Rosenv., ib. p.* 103; *'Sächs. Weltchronik' c.* 207, *D. Chron. II, p.* 186.

Ergo cave, nostri ne sit mutatio regni.
Omnia turbantur, per secula cuncta parantur
Vis, dolus et scelera, nunc sunt incendia, furta;
Pro virtute pia succedunt quaeque pericla,
Pro iusto bellum, pro religione duellum.
Unde [coorta[a] mala] quae sunt, tenus hac quasi clausa
Stabant, et merito nudantur tempore nostro.
Scisma fit ecclesiae; mundus dissentit ubique,
Clerus de plebe, vulgus de nobilitate.
Omne pium ius negligitur, lex vilis habetur.
Iura sacerdotum pleps exigit inscia legum,
Baptizat vulgus, sacratur chrismate nullus.
Lex pia deletur penitus . . . . . .[b]
Possem multa queri, si velles [tu[c]] misereri.
Non teneo lacrimas, dum computo res miserandas.
Ista movent et te, nisi si careas pietate.
Quis neget haec flere? Miserere, precor, miserere!
Iam nihil offertur, nec missa Deo celebratur.
Mistica nemo colit, nemo legit aut canit; et quid,
Obsecro, mirandum, cum virtus deficiat, cum
Desit apostolicus legali . . . . . .[d],
Ex cuius meritis vigeant[e] pax et status orbis.
Sic inter mites spargit discordia lites,
Cum per rectores pereunt virtutis honores.
Sed puto, sic faris: 'Venit hoc ex crimine patris'.
Sum carnalis ego — vivit sine crimine nemo —
Et me peccasse fateor, sed queso, quid ad te?
Non reprehendendus nec eram tibi corripiendus,
Qui, nisi Factorem, statui mihi quemque minorem
Nomine, non merito. Quodsi vis pellere regno
Me peccatorem, spernens pietatis amorem,
Obsecro te per eum qui sceptra regit superorum,
Da saltem minimam respondendi mihi causam.
Forsan ut expurgatus[1] — adest tibi turba senatus —
Restituar regno, tibi, nate, satis faciendo.
Quodsi privari me regno proposuisti,
Expulsum misere sine veri conditione,

a) *uncis inclusis lacunam codicis explere conatus sum.* b) *lacuna in c.; Gundlach p.* 46, *n.* 2. *male supplevit:* ius dilaceratur. c) *deest c.; supplevit Watt.* d) *lacuna in c.; potes supplere* iure creatus; *nimis inepte, sensum et versum laedens, supplevit Gundlach p.* 46, *n.* 1: principi regni. e) iugera *c.; corr. Watt.*

1) *Cf. epist. Heinrici imp. ad Philippum regem l. l.:* ut locus et tempus mihi daretur, ubi in praesentia omnium principum, unde innocens essem, ex iudicio omnium me expurgarem; *epist. Heinrici ad principes, W. de Giesebrecht, 'D. KZ.' III, Docum.* 16[b].

Nec vincit pietas nec legis cura nec aetas,
Et tunc consilio, si vis, fungare paterno:
Suevulus[a] et Saxo procul absistant tibi! Saxo
Perfida gens vere; per eos multi periere
Fraude doli. Pater ipse poli parcat tibi soli,
Ne raptum per eos, per eos [te[b]] surripiat mors.
Hinc ortor, fili, si queris dignus haberi,
Sicut serpentes istorum prospice fraudes.
Queso, quis inlesus discessit ab his nisi lesus[c]?
Omni momento tales vitare memento
Et patrios hostes fuge, nate, tuos velud hostes.
Provideat Dominus, si quis fuerit tibi natus,
Ut tu me, ne te simili dampnet ratione.
Proh dolor! infelix ego quondam maximus orbis
Rex et cesar eram[1], magnalia iura regebam,
Nunc[d] miser et pauper, non est mihi[e] vilior alter.
Ei mihi! quid faciam? quo me vertam? cui credam?
Cui fuero carus, natus mihi cum sit amarus?
Sum velud orbatus, quamquam vivat mihi natus.
Vellem posse mori, sic sic parcendo labori.
Nate, precor, nate frustra mihi sepe vocate,
Spernendo patrem cur contempnis pietatem?
Immo Creatorem timeas, qui cum patre matrem *Exod.* 20,12.
Iussit honorari pre cunctis et venerari[2].
Vilibus ex rebus nunc exemplum capiamus:
Inspice naturas pecorum ratione carentum,
Quae sese natis iungunt et amantur ab illis;
Quanto magis tu me, cum fungaris ratione,
Qui generavi te, nutrivi[f] religiose.

a) *hic et sequens versus et v.* 111. 112. 141. 142. *immutati ex codice Stabulensi, nunc Musei Brittannici nr.* 16606 *(cf. 'N. Archiv' IV, p.* 356*), saec. XII, f.* 112'. *editi sunt a Martene et Durand, Collectio I, col.* 609, *inde repetiti MG. SS. VI, p.* 369, *n.* 92:

Versus Heinrici imperatoris ad filium suum.

Sum quoniam pauper, non est me vilior alter.
Heu mihi! quid faciam? quo me vertam? cui credam?
Suevulus et Saxo concedunt nunc tibi falso,
Perfida gens vere, per quam multi periere.
Quodsi depellor, et tu pelleris, et error
Peior erit primo. Mi fili, dulce caveto!

b) *deest c.; supplevit Watt.* c) *corruptum videtur;* sevus? d) *cf. versus n. a allatos.* e) me *proposuit Watt., et ita versus n. a citatus; sed cf. v.* 87. f) te *add. c.; primam syllabam vocis* religiose *poeta procul dubio longam usurpavit, ut iam antiqui poetae metro coacti.*

1) *Poeta novisse videtur epitaphium Lotharii imperatoris, cuius initium f.* 102. *eiusdem codicis, qui hoc carmen continet, exstat:*

Caesar tantus eras quantus et orbis.

2) *Cf. Vita Heinrici c.* 11: Cur ergo magis audis eos qui tibi suggerunt: 'Persequere patrem tuum' quam verbum ipsius Dei: 'Honora patrem tuum'?

Nunc demum vere scio somnia pondus habere,
Somnia nam vidi quondam, presagia veri:
Lecto prostratus, somni dulcedine captus,
Lassatus nimium, vidi succrescere quercum
Ex proprio latere, qua non est maior in orbe.
Primum vilis erat minimumque[a] vigoris habebat,
Post tempus modicum mire succrevit in altum
Et peperit flores, de me capiendo vigores,
Ramos extendit, nec iam velut ante pependit,
Dans umbram late volucres pecudes [trahit[b]] ad se.
Sic crevit viresque mihi virtutis ademit[1].
Vix capud erexi, sed tollere membra nequivi.
Tunc excitus ego, pervolvens[c] somnia crebro,
Pro nihilo tenui, qui somnia vana putavi.
Sed nunc postremo mihi vera patent, heu sero!
Quid facias, queso, videas; vere tibi dico:
Matth. 27, 64. Nunc[d] ego si pellor, et tu pelleris, et error
Peior erit primo. Fili dilecte, caveto!

a) nimium *c.*; *Watt. proposuit:* minus atque. b) *deest c.*; *supplevit Watt.* c) volvens *c.*; volvens et *Watt.* d) *hunc et sequentem versum vide p.* 27, *n.* a.

1) *Chron. regia Colon. et Ann. Hildesh. (ex Ann. Paterbrunn.) a.* 1106. *et 'Sächs. Weltchr.' c.* 205, *l. l. p.* 186. *referunt imperatorem Leodii moratum somnio vidisse arborem magnam corruentem, quae* unam arborum oppressit et terrae secum prostravit.